










DIVIDE ET IMPERA.
ANIMORUM DIVISIO, BELLORUM SEMINARIUM.
NULLA SALUS BELLO.
FICTUS AMICUS, HOSTE NOCENTIOR.
MALE DIVISA, MALE COËUNT.
PAX DOLOSA, BELLI FOMES PERENNIS.
FLET VICTUS, ET VICTOR NON LÆTATUR.
TANDEM BONA CAUSA TRIUMPHAT.
VIRTUTI CEDIT IMPROBITAS.
PUBLICA TRANQUILLITAS.
OSIRIS
IMPERIUM
TYPHO
JACOBI BORNITII
EMBLEMATA
ETHICO POLITICA
Ingenuâ atque eruditâ interpretatione nunc primùm illustrata
Per
M. Nicolaum Meerfeldt &c.
MOGVNTIÆ,
Sumpt. LVD. BOVRGEAT
Bibliopolæ Academici.
M. DC. LXIX.



JOCOBI BORNITII

EMBLEMATUM

SYLLOGE PRIMA.



I.

Est Deus, esse suum, noscendus Trinus & unus;
Prende fide, humanâ quod ratione nequis.



Daß GOtt im Wesen eins und drey:
Der Glaub begreifft kein Phantasey.

DEUM

I.

DEUM esse TRIUNUM Christianâ veritate profitemur, & cuncti in Baptismate confessi sumus ac vovimus. Attestatur id Christus, Matth. 28. *Euntes, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.* Et S. Joannes 1. Joan. v. *Tres sunt, qui testimonium dant in Cælo: Pater, Verbum, & Spiritus sanctus.* Tres sunt personæ, non una; ideoq; distinguimus, sed unam ab aliâ non separamus. Patri attribuitur Potentia, Filio Sapientiâ, Spiritui Sancto amor & bonitas. O Pater, ô Fili, ô Spiritus Sancte! Unusquisq; vestrum Potens est, imò Omnipotens. Unusquisq; Sapiens, imò ipsa Sapientia. Unusquisq; Bonus, imò ipsa Bonitas. A Vobis sunt omnia, per Vos omnia, in Vobis omnia. Imò à Te, per Te, in Te (quia una sola es Divinitas, ô SS. TRINITAS) sunt omnia. Attestatur David Psal. 85. *Tu es Deus solus.* Et Ecclesiasticus 1. *Vnus est altissimus Creator omnipotens, & metuendus nimis. Tres sunt, qui testimonium dant in Cælo &c. & hi tres unum sunt.* 1. Joan. v.

Sed quid Solem intuemur? Si sapimus, oculos claudemus. Fides Talpa sit, oportet. Nimirùm non posse in parvulam fossam exonerari Oceanum, Augustine docuisti. Manu tamen non semel ad tanta mysteria nos duxit Cœlum.

II.

In Domino sumus & nos vivimus, atq; movemur,
Spiritus hic radiis omnia Lucis agit.



Von GOtt das Wesen vnd das Lebn
Jst aller Ding vnd das Bewegn.

A DEO

I I.

ADEO omnia, ſine labore, ſine difficultate, ſine reſiſtẽtia. Creavit omnia, cõſervat, & ab illo omnia pendẽt, atq; in nihilum redirent, ſine ejus manu ſuſtentante. Omnia egent ejus potentiâ; quia ſine illa nec Sol lucere, nec ignis calefacere, nec homo ſe poſſet movere. Et cùm homo, Cælum, Sol, Angeli ex nihilo ſint, nec actionem, nec motum, nec ſtabilitatem habent ſine illo; *Omnia portat verbo virtutis ſuæ*, inquit Apoſtolus Hebr. 1. 111. quia ſc. nutu & potentiâ ſuſtentat totum pondus creaturarum; quaſi Atlas mundi, ſimul movens, moderans, ac gubernans omnia. Eſt Deus quaſi Currus portans totum mundum, & ſuſtentans omnes creaturas, quæ alioquin redirent in nihilum; Ipſe quoque ſimul eſt Auriga, currui præſidens, movens & gubernans tum per ſe, tum per Angelos; quia eorum miniſterio rotas hujus currus movet, regitq;, per eas gyrans Cœlos, tempora, resq; omnes fortiter ac ſuaviter diſponens.

III.

Iactatur mundi medijs Ecclesia in undis:
Sed tamen in portum ducit agetq; Deus.



Die Kirch treibt hin und her der Nord/
So doch GOtt führt zur Ruh und Pfordt.

FIDES

III.

FIDES Christiana & Ecclesia Catholica innumeras passa est persecutiones, non solùm hæreticorum plurimorum, qui conati sunt diversimodè destruere fidem Catholicam, sed maximè passa est tribulationes & persecutiones à Tyrannis, Infidelib⁹, Regibus & Imperatoribus, non uno solùm, vel duobus, sed plurimis, & per universum orbem, ut à Nerone, Domitiano, Trajano, Antonio, Severo, Galeno, Juliano, Decio, Valeriano, Diocletiano, Maximiano, Maxentio, & aliis multis, & tamen nunquam potuit prosterni, licet, persecutiones habuerit non solùm in temporalibus, sed & in spiritualibus. Enim verò fuere, qui non modò verbis, sed & sanguine usq; ad mortem eam defendere voluerunt. Tantò autem magis præclara extitere fidei nostræ testimonia, quantò innumerabiles penè Martyres pro ipsâ sanguinem fuderunt. Ait enim Hyeronimus in Prologo Martyrologii, quod nullus in Anno dies, exceptis Calendis, in quò non possit Ecclesia Festum 5000. Martyrum celebrare; Et hoc valdè mirabile fuit, quod in toto terrarum orbe, tanta hominum multitudo, pro eo, quem nunquam viderant, tantis se cruciatibus exponeret, ac mortem libenter sustineret; Itaq; verum:

Fluctant; ast nunquam mergitur illa ratis.

Non

I V.

Non venit ad Patrem, niſi quem Pater attrahat ipſe;
Noſtra Dei eſt manui ſubjicienda ſalus.



Niemand zu Chriſto JESU kömbt/
Den nicht der Vatter zeucht vnd nimbt.

DEI

IV.

DEI in homines amorem testatur Vocatio. Qui quantus & amor Dei & honor hominis? Indigni tamen amore hoc & honore multi; Ad nuptias vocati adesse noluêre: nemo autem intravit, nisi vocotus; quia Rom. IX. *Non volentis, nec currentis; sed miserentis est DEI.* Et Joan. 6. *Nemo venit ad me, nisi Pater meus traxerit eum.*

Magna Dei attributa hæc duo sunt: Misericordia & judicium; Sic una in Vena aurea inerat Manna misericordiæ, Hebr. 9. & Virga Aaron, ad memoriam iræ in seditiosos exercitæ. Pro parvulis & superbis. *Sic placitum est tibi.* Matth. XI. Crede, time; mare ne metiare; Labyrinthum inire fuge. Hoc nôris: Prædestinatio purè fit, sine intuitu meritorum; quia misericordiæ est actus:

At reprobatio fit intuitu peccatorum; quia justitiæ est.

Cooperari autem debemus vocanti Deo. Conformãda humana voluntas cum Divina.

V.

Ad verbi ſonitum divini rarus anhelat;
Pars potior mundi delicias ſequitur.



Viel ſeynd beruffn/ wenig erwöhlt/
Der meiſte Theil folgt Luſt der Welt.

DEUS

V.

DEUS Sacro in Elogio, ſe nominat Patrem familias. Hoc eſt nomẽ, quod ſibi ipſi tribuit Deus, & adeò illi convenit, ut dicat Job XXXVIII. *Quis eſt pluviæ Pater? aut quis genuit ſtillas roris?* Omnium rerum Pater vocatur, uſq; & guttæ aquæ, & roris; quia omnia creat & conſervat. Non dicitur Dominus familias, quod eſt nomen Majeſtatis, ſed Paterfamilias, ut nos confortet atq; invitet, ut libentiſſimè ad ejus ſervitium accedamus. Verùm homines adeò ſunt ducibiles ad proficiſcendum in vineam Sathanæ, ut quamvis non vocentur, aut præmii aliquid illis promittatur, omnes illuc pergant.

Adulterinæ plantationes, Sap. IV. Plantæ illegitimæ, quanquam benè agere proponunt, cum vocantem Deum, ac prædicationem audiunt, poſtquā tamen illinc exeunt, nihil eſt amplius. Sicut ova, quæ ſunt in igne, ſudant & à ſe guttas aquæ emittunt: ab igne verò ſeparata, ut ante ſicca remanent. Unum eſt ex ſignis reprobationis, quod quis prædicationes audiat, nec ex illis fructum percipiat. Affirmat id Paulus: *Terra ſæpè venientem ſuper ſe bibens imbrem, & germinans herbam oportunam illis, à quibus colitur, accipit benedictionem à Deo: proferens autem ſpinas ac tribulos, reproba eſt, & maledicto proxima, cujus conſummatio in combuſtionem.* Hæbr. VI.

VI.

Patria non nobis hîc est; quærenda supernè;
Hanc pete, sustuleris si grave carnis onus.



So dein Wandel im Himmel ist/
Deß Fleisches Bürd leg ab zurüst.

Justus

VI.

JUſtus eſt in Patriam amor. Hunc omnibus natura inſevit, ut vel ſanguinem pro eâ fundere dulce ſit, & glorioſum. Dulce etiam ac delectabile eſt vitâ, luce, præſentibus gaudere: verùm ad alium longè eminentiorem homo creatus eſt finem, nempè ut hîc in terris Deo ſerviat, obtemperat, colat, amet, ac tandem finita mortali hac vitâ, eo in Cœlis fruatur æternùm. Ne aſſimiletur Epicureis. qui Deum, ejuſq; providentiam negârunt, ac libidinibus fuere & voluptatibus deditiſſimi, Horat. lib. 1. Epiſt. 4. Complures terræ filij, Struthionis inſtar, volare neſcij, mentem ad ſuperna tollere neſciunt, humi tantùm curſitant, ac per ima repunt, preſſi & amore terræ ac põdere. Aſt in Cœlum cum S. Auguſtino in Soliloquio animæ, c. 21. elevanda mens eſt, dicendumq;: Si, mî Domine, pro corpore hoc ignobili & corruptibili tam magna & innumera beneficia præſtas à Cœlo, aëre, terrâ, mari, luce ac tenebris, calore & umbrâ, ventis & pluria &c. Qualia, quæſo, quàm magna & innumerabilia erunt illa bona, quæ præparaſti diligentibus te in cœleſti illâ Patriâ, ubi te videbimus facie ad faciem? Si tanta nobis facis in carcere, quid ages in Palatio? &c. Illuc itaq; aſpira. Illuc per bona operam Scalam tibi fac, ut in Cœlum conſcendas.

VII.

Quid mihi cum vanis thesauris? Nam cor ibidem
Est, ubi thesaurus, Christus, in arce Poli



Mein Schatz im Himmel droben ligt;
Drumb sich dahin mein Hertz stets wigt.

Aurum.

VII.

AUrum ſitiunt mortales; & propterea tanta eſt temporalium cura, ut patet in diverſis hominum laboribus; alij namq; in Scientiis, alii in mechanicis artibus, alii in agricultura laborant.

Impiger extremos currit mercator ad Indos.

Atq; idcirco Poëtarum nonnemo eleganter cecinit:

Nummus honoratur, ſine nummis nullus amatur,
Nummus ubi loquitur, Tullius ipſe tacet.

Verùm nihil iniquius, quàm amare pecuniam, inquit Ecclesiaſticus. Et veteres dixêre, nihil eſſe tam anguſti animi, tamq; parvi, quàm amore divitias. Nihil honeſtius, magnificentiuſq;, quàm pecuniam contemnere, ſi non habeas, ſi habeas, ad beneficentiam, liberalitatemq; convertere. At complures majorem habent Marſupij curam, quàm vitæ, ut eſt apud Novium, de propr. rerum. 1. Dixerim ego quã vitæ æternæ, terrenis tantùm per fas & nefas inhiantes, atq; ibi Cor eorum, ubi theſaurus, dicente Chriſto. Enimvero in Cœlis theſaurirandum; qui id agunt, veras ſibi, firmas ac nunquam perituras acquirunt divitias; nam ut canit Mantuanus:

Eſt requies illic, illic æterna voluptas,
Perpetuus ſplendor, gaudia, riſus, amor.

Deficit

VIII.

Deficit humanum, ne defice, quando levamen;
Nam Deus ultrà huminum suggerit unus opem.



Wann Menschen Rath all hat ein End /
So kombt dann Gottes Hülff behend.

VIII.

SPes ac fiducia in Deum nunquam eſt deponenda. Hujus rei in David vide admirabile exemplũ II. Reg. XIII. Job tribulationes adeò depreſsêre, ut omnes eum ad priorem fortunam nunquam reverſurum crederrent, at hac eum abyſſo educit Deus, ſterquilinium in jubilum commutat, divitias ei multiplicat, ac centum quadraginta annos vitæ addit. Jonas, quantumlibet duplici ergaſtulo, ventre ſcil. Ceti ac Maris concluſas eſſet, Deus tamen ad eum pentravit, atque incolumen in littus ſtitit. Jonæ III. Daniel in lacu Leonum, Regio Sigillo obſignato, verſabatur, quà nemo adire præſumebat, Deus tamen eundem ingreſſus eſt, ac Prophetam in libertatem vindicavit. Dan. VI. Spes nobis hîc peregrinantibus eſt baculus, quo nixi ſuſtentamur, ac viarum moleſtias ſuperamus, etiam tunc, cùm graviſſimæ nobis incumbunt. Illa fluctuantis animæ ſacra eſt anchora, tutiſſimum ſalutis perfugium, quo omnes hujus vitæ, verè furentis Oceani, fluctus ridentur.

IX.

Crede tibi noceat, nec terra, nec unda, nec ignis,
Si tibi naturæ Rector & Autor adest.



Auch über die Natur hälfft GOtt/
Wann sonst kein Rettung ist auß Noth.

Nihi

I X

NIhil Deo eſt impoſſibile, ac penes eum omnium locorum claves cuſtodiuntur; ingreditur ille, & egreditur, quocunq; viſum fuerit. Extremis in neceſſitatibus ſuos ſervat, eiſq; fert opem, Tres hi pueri in ſuccenſâ fornace conſtituti erant, flammis undiq; circumvallati, adeò, ut nullus effugio locus pateret? illa tamen omnia vis divina penetravit, atq; ipſos incendio liberavit. Dan. II. Quomodò ſi rugiat Leo, & catulus Leonis ſuper prædam ſuam, cùm occurrerit ei multitudo Paſtorum, à voce eorum non formidabit, &c. Sic protegit Dominus &c. Iſai. XXXI. Ecce, quot verbis exaggerat Dominus ſedulam curam, quam de ſervis ſuis gerit! Duabus diſſimillimis rebus ſe confert: Famelicis Leonibus, & avibus volentibus nidos protegere; quorum alteros naturales vires fulciunt, univerſos timores contemnant: alteras verò intimus pullorum amor compellit, ne ulla pericula pertimeſcant, Leo famelicus nullâ Paſtorum cohorte, nec canũ latratibus deterretur, ut prædam è dentibus dimittat; Aviſq;, quamvis imbecillis ſit, ut pullos tueatur, nullum timet periculum; amor enim vires addit, quæ ſibi à natura negantur. Quibus ſimilitudinibus voluit Dominus demonſtrare, quàm ſecuri ſint ſervi ſui, ſiquidem ad defenſionem eorum tam ſupernum amorem ac potentiam habent.

V.

Viq́; dolisq; strophas nectit sine fine Tyrannus:
Sed tragicam metam non superare valet.



Tyrannen wüten eine Zeit/
Ihr Lohn ist Höll/ und Hertzenleid.

Tyran-

X.

TYranni nec lege diriguntur, nec ratione; ſtat pro ratione voluntas. Hi ſunt perſecutionum Aquilones, Auſtriq; trucas. Prodit Damaſus Papa, in vita S. Marcelli, ſolum Diocletianum brevi tempore XVII. Chriſtianorum millia exquiſitis necibus diſcruciaſſe. Euſebius de ſuâ prodit ætate, in Hiſt. Eccleſ. Lib. VIII. c. II. carceres omnes Chriſtianis refertos, nec aliis locum maleficis fuiſſe; Ea tempeſtas CCXXX. obſorpſit. Cætera quis fando memoret? Succeſſerunt Hæreticorum turbines: Arianorũ, Copronymi Imp. Iconoclaſtæ; Quis Turbo Lutherus? Quæ Furia Calvinus? Dicamné? *Nunc Cinis eſt, ubi Troja fuit.* At funeſti fuêre Tyrannorum exitus. Infelices nacti mortes ſunt Hæretici. ———————— ————————
Virg. VI. Æn. *Diſcite juſtitiam, moniti, & non temnere Divos.*

X I.

Quisnè Aquilam excelso fore credat in æthere tutam?
Et tutum, quem alis fert Deus ipse aquilæ?



Vff Adlers Flügeln dich Gott führt /
Daß dich kein Gfahr / noch Leid berührt.

Majo-

X I.

MAjori semper necessitati accurrit Deus: Ut cor lateri adest infirmiori sinistro, & ipsi pavore palpitanti sanguis affluit opitulaturus; ita Dominus. Videntur justi, quasi quorum obliviscatur Deus: Licet verò corpus patiatur, animam ipse gratiâ roborat ac recreat. Tangi sinit corpus, at animam servat, Dei thalamum, eamq; dona gratiæ plura, quàm Salomonis lectulum ambiunt. Semper præsto suis adest Deus, Sennacherib Assiriorum Rex arctissimè obsidebat Hierusalem, Et Rex Ezechias orabat Dominum: permisitq; Deus ad extremũ discrimen adduci Davidem & Ezechielém; & eo in articulo liberat. Beatus, cujus Dominus defensor ejus Sub umbra alarum suarum eum proteget: Itaq; si exurgat adversum illum prælium, si castra erga eum consistant, non timebit; Dominus protector vitæ ejus, à quo trepidabit?

XII.

Tum Domino servire tenetur & ignis & æther
Eripere ærumnis cum volet ille suos.



Auß Wasser und auß Fewers Noth
Uber Vernunfft errettet Gott.

Per-

XII.

PErſequebatur Iſraëlitos Pharao, & ad unum omnes internecioni dare volebat: verùm tollens ſe Dei Angelus de nocte in columnâ ignis, de die in nubis illos columna ducebat protegebatq;. Dominus, ait Regius Propheta, Protector vitæ meæ, à quo trepidabo: Cuſtodit ſuos per Angelos Deus, multis periculis corpus ac vitam noſtram eripiens; cum enim vita noſtra variis ſit obnoxia caſibus ac diſcriminibus, ab elementis, animalibus, dæmonibus atq; hominibus, ab his hominem protegit Angelus. Immittet inquit Pſalmiſta, Angelus Domini in circuitu timentium eum, & eripiet eos. Protectio hæc manifeſtè apparuit circa Tobiam, cap. VI. & XII. Apparuit & in filiis Iſraël, quos per varia pericula deduxit Angelus, Exod. XIII. Hinc & Judith gratias agens de hac protectione dicebat, Exod. XIII. Vivit Dominus; quia cuſtodivit me Angelus ejus, &c. Quoties ergò vel iter, vel opus aliquod periculoſum aggredimur, Angelo, tanquam protectori nos committamus, dicamuſq;:

Angele qui meus es Cuſtos, pietàte supernâ
Me tibi commiſſum ſerva, defende, guberna.

XIII.

Cor Regis in manu Dei est;
Is flectit illò, quò velit.



Der Menschen Hertz in Gottes Hand/
Wo er hin will/ dahin ers wand.

Corda

XIII.

COrda Regum in manu Dei ſunt, ex, quocunq; voluerit, inclinat. Probos juxta cor ſuum, dyſcolos pro populorum noxis evehet. In furore ſuo Reges concedit, & in indignatione ſuâ auſſert. In pervicacis plebis flagellum Reges ſublimat. Reges regnare, & conditores Regum juſta decernere præſtat. Regum baltheum diſſolvit, & renes eorum fune præcingit. Deſpectionem ſuper principes effundit, & oppreſſos relevat. Sedes ducum ſuperborum deſtruit, & mites pro eis ſurrogat. Conſiliarios in ſtultum finem, & judices in ſtuporem adducit. Gentes multiplicat, & perdit, ſubverſasq; in integrum reſtituit. Regum à ſe evectorum miniſteria perpendit, & cogitationes ſcrutatur. Profunda de tenebris revelat, & umbram mortis in lucem profert. Apoſtaſiam Regibus, & impietatem Ducibus imperterritè exprobrat. Gentes in virgâ ferreâ regit, & Cedros Libani confringit. Nullius perſonam reſpicit, nullius magnitudinem veretur. Puſillum & grandem æqualiter curat, cuiq; pro meritis retribuit. Judicium duriſſimum Rectoribus minatur, Hieruſalem in lucernis luſtrat, Potentes potenter torquet, fortiores fortiùs cruciat.. Cui appropinquare, clareſcere eſt, Quem timere, gaudere eſt. Cui ſervire regnare eſt.

XIV.

Sortes homuncio jacit:
Dei ſed ad nutum cadunt.



Die Menſchen werffen zwar das Loß/
Nach Gottes willen fält es bloß.

XIV

SOrtes ducere assolent mortales. In scripturâ sunt dispares: bonæ & malæ. De bonâ bonorum gloriatur Paulus Col. I. Qui dignos nos fecit in partem sortis Sanctorum. In hanc sortem, ut duceret idem gentes, se vocatum, ait; Actor. xxvi. Ut convertantur à tenebris ad lucem, & de potestate Sathanæ ad Deum &c. De malorum sorte malâ, Eccles. vi. inquit: Animam nequam disperdet, & deducet in sortem impiorum. Infelix sors, vanâ ac momentaneâ. Jam verò hoc etiam attende: sors bona à solo Deo est: Sortes mittuntur in sinum; sed à Domino temperantur, Proverb. xvi.. Ita Dei gratia datur, cui vult prædestinator Deus. In hanc vocamur. Huic cooperandum. Similes esse debemus lapidi Abeston, de quo Plinius lib. xxxvii. cap. x. Alber. Mag. & Isid. l. xvi.

Arcadiæ tellus lapidem producit Abeston:
Ferreus huic color est; naturæ mira potestas;
Nam semel accensus conceptos detinet ignes,
Extinguiq; nequit pellucens perpete flammâ.

Tales & nos esse oportet. Semel accensi ab alto, minimè à Dei charitate.

X V.
EMBLEMATA PROFANA.

Non mihi Religio Cordi est, sed amor regionis;
Nimirum Regio in Religione latet.



Der Soldat list Religion
Vnd doch nur meint die Region.

X V.

NOn difficili, nec improbabili conjecturâ perſpicere licet, bella nonnunquam Religionis prætextu adornari, quæ tamen eo collimant, ut Regiones prædivites per nefas occupentur. Sub palliatâ fictaq; ſanctitate Lupum geſtant Fel ſub melle latet.

Nil minùs, quam Religio eis cordi eſt:

Verùm eis decantatum illud convenire certum:

Nulla fides, pietasq; viris, qui caſtra ſequuntur.

Templa reſq; Deo dicatas, velut Antiochus & Heliodorus, prophanant; Sacratas Deo Virgines opprimunt; humana divinaq; jura contemnentes; ſed tandem, ut præfati puniuntur à Deo, ac peſſimâ morte intereunt; Itaq; ruminandum eis illud Virgilij:

Diſcite juſtitiam moniti, & non temnere Divos.

Aëra

XVI.

Aêra quod luſtras pedibus, luſtrãvimus unos,
Nunc ſcipione fultus, vix ſolũm geto:



Auff deinen Stand trotz nicht ſo ſehr /
Was du biſt / bald kanſt nicht ſein mehr.

Vana

XVI.

VAna est juventus, dissoluta. Seria haud sapit, nec capit. Extollitur. Delirat. Cæca est. Senectutum minùs æstimat, contemnit. Eùm stolida sit, sapientem se reputat. Nihil non audet. Est inconsulta juventus. Mollis. Effera. Corona verò senum, multa prudentia. Consilium est ratio, & prudentia in senibus est. Senes itaque honorandi. Vitia, ceu Syrtes, effugiunt; nihil ad omne consortium illis commodius est, quàm Resp. atq; privatas felicissimè regere: despicere malos impetus, ac vincere, qui animos nostros inconsultè diripiunt: & consulere juventuti, ac parcere; quid ipsi fuerint, quid tunc senserint, nondum immemores: digni denique, qui longâ senectute suâ Sapientiâ fruantur.

XVII.

Ignis aquæ vires, vice mirâ, aqua concipit ignes;
Mutua naturæ semina quæque gerunt.



All Ding einander sind verwandt /
Drumb eins dem andern reicht die Hand.

Ajunt

XVII.

AJunt Theologi: Quidquid poteſt facere cauſa ſecunda, nobiliori & altiori modo poteſt cauſa prima. Hoc præſuppoſito, certum eſt, naturam poſſe unam in aliam convertere ſubſtantiam; dicit enim Ariſtoteles: Alimentum per naturam convertitur in ſubſtantiam aliti. Virtute caloris gallinæ Ovi ſubſtantia in Gallinam convertitur; Videmus quoq; terram, inter extra ignobiliorem, virtute Solis producere aurum, argentum, uniones &c. Hinc Philoſophus 4. Meteor., virtute Solis terræ humiditatem converti in arbores, gramina, vinum, oleum, balſamum, ac ſimilia. Iſidorus in lib. Ethymolog. refert eſſe in Scotia fontem, quidquid in eum conjicitur, mox verti in lapidem. In Hybernia eſſe alium, ſi bacculus injiciatur, partem, quæ aquam tangit, in lapidem, alteram, quæ in terram figitur, verti in ferram. Alchimiſtæ, æs atque hydrargyrum in argentum purum convertunt. Si ergo Natura unam in aliam poteſt convertere ſubſtantiam, à fortiori Deus naturæ Author, cujus eſt immenſa poteſtas, in quo cunctæ perfectiones altiori modo, quàm in creaturis extant.

XVIII.

Impatiens consortis Amor: sic turturis instar,
In morte ac vitâ Tu mihi sola places.



Die Liebe kein MitEsser dult/
Ich dir/ du mir/ allein seynd Huld.

IN



XVIII.

IN recenſendis mortalium affectibus, præter fas ac humanitatem foret, amoris obliviſci, qui in omnium animis, niſi prorſus barbaris, regnans, tamen quoſdam vehementiùs ſuis imbuit curis, ſibiq; propiùs addicit. Eſt autem blanda & irrequieta cupiditas, iis ipſis placendi, qui nobis ſive fortè, ſive ſuâ virtute, ſive noſtro deniq; errore placuerunt. Et is quidem, velut inſidiis, ita irrepit, ut nos antè ſentiamus amare, quàm inſtituamus de amando conſilium. Neq; arduum in ipſis initiis eſſet excutere tantum pondus, niſi ſenſim, neq; ſine ſuavitate incumbens, ita eos ipſos ſuis lenociniis caperet, quos affligit, præſertim inexpertos, ut putent in humanum facinus fore, ſibiq; omninò incommodum, ſi influentis mali dulcedinem à ſe auſint ſevero imperio arcere. Hoc autem affectu, ſi inſtitutio recta acceſſerit, nihil in mortalibus magis eximium. Conſortis verò minus eſt patiens.

XIX.

Quod rarum carum. Falsum est; vulgare quod extat,
Omnibus est charum; sic tibi ut Ova probant.



Was ist gemeiner / als ein Ey
Und doch seyn Nutz ist mancherley.

Omnia

XIX.

OMnia chara esse, quæ rara, pleriq; autumant: Aurum arabicum, gemmas ex Indiis allatas corallia, uniones, margarithas, cæteraq; è secretis terræ visceribus, eruta, magnaq; industria conquisita extollunt, eaq; in prætio habent; quod rara sint, eaq; ab omnibus suspiciuntur. At vulgare quidem extat Ovum; magnæ nihilominus utilitatis esse nemo negaverit. Finxere quondam Ægyptii Deum in ore ovum tenentem, ac per illud demonstrârunt, mundum ab ipso creatum. Orare itaque licet, velut olim Reges ibant Orantes.

X X.

Innumeros numerus numeros numerabilis edit,
Cantio ceu miris fert variata modis.



An der Music groß Gheimnuß stickt/
Daß der tausend nicht eins erblickt.

XX.

INfinitè in infinitum Musica condignè extollitur. Vocatæ sunt Nymphæ, quod Aron apud Horatium notat illo versiculo:

Vidi docentem, credite posteri,
Nymphasq; discentes.

A Cano Camœnæ dicuntur, ut Festus, Servius, ac Macrobius docent, Carmen suave dant Olympiades Musæ,

Musæ, quæ pedibus magnum pulsatis Olympum.
Plectra gerens Erato, saltat pede carmine vultu.

Cantus suavitate Poëtas reddunt gloria immortales, ac posteritatis memoriæ commendandos, Gloriâ & Sapientiâ animos ad cælestium contemplationem, ut autumat Fulgentius, elevant. Cantus suavitate ab omnibus plurimi æstimantur. Cantilenarum sunt Præsides. Lycurgus, & refert Plutarchus, bellici exercitationi studium Musicæ admiscuit, quo bellandi vehementia, modulatione tēperata, consonantiam convenientiamq; haberet, Musis, antequàm pugnas iniret, litans, quo & oratione, præclarâq; memoriá digna facinora pugnantes redderet.

XXI.

Esse suum, & vivum Virgo retinebit honorem;
Devirginata hunc perdidit.



Die Ehr deß Menschen Leben frist/
Ein Mensch/ ohn Ehr/ deß Todtes ist.

Inter

XXI.

INter omnes mulierum Status primatum Virginitas tenet; Undè D. Hieron. ad Nataliam: Tria præcipuè sunt genera metallorum: Ferrum, Argentum, Aurum: Ferrum est Castitas, conjugalis. Argentum vidualis. Aurum est Virginitas. Virginitas est ut Regina, Vidualitas ut Domina, Conjugalitas ut ancilla. Virginitas ut Patria, Vidualitas ut portus, Conjugalitas ut pelagus. Sicut ergo Aquila inter volucres, Lucifer inter Stellas, gemmaq; inter lapides, ita excedit matrimonium, & viduitatem Virginitas. Illa est sicut Lux Solis, viduitas sicut Lux Lunæ, matrimonium sicut Lux stellarum. Inæstimabilis Virginitas thesaurus. Nè perdas Recuperari nequit. Non potest coronari corrupta. Ut sericùm est, quòd cum in lutum cecidit, nunquam perfectè abluitur.

— — — — — *Veneris detergē mephytim.*

XXII.

Et faciles flammas præsenti stramen ut ignem
In re concipiet: sic juvenilis amor.



Wann Lieb vnd Lieb beysammen sind/
Bald sich daher ein Fewer entzünd.

Facili

XXII.

FAcili negotio amoris impuri flammas juvenilis concipit ardor; quem cavere tamen possunt, atque aliorum exemplo etiam tenentur. Judith mulier vidua, cùm ad recens connubium impelleretur, cilicium ornatū prætulit, objecitq; libidini jejunium, vigilias somno, & otio laborem, inquit Sabellicus. Anna Phanuelis filia, post septimum connubii annum, vidua facta, ad quartum usque & octogesimum castè fixit. Idem in exemplis. Essenij, populi Syriæ, vitam olim duxerunt alienam ab omni mulierum commercio, Venere abdicatâ, inquit Plin. lib. 5. c. 17. Penelope, Icari filia, nullis procorum blandimentis, nullis pollicitationibus adduci potuit, ut, absente per viginti annos marito Ulysse, castitatem corrumperet; Undè Prop. lib. 3.

Hæc etiam clausas expugnant arma pudicas,
Quæq; terunt fastus, Icarioti tuos.

Ovid. lib. 3. Eleg.

Penelope mansit (quamvis custode careret)
Inter tam multos intemerata procos.

XXIII.

Per quod quis peccat, per idem punitur & idem;
Incidit insidias, quas alij peperit.



Was du einem andern böslich gönst/
Zum Lohn mit Billigkeit empfindst.

Nemi-

X X I I I.

NEmini malum imprecari, aut vim inferre licet; in illam namq; foveam, quam aliis ſtruxêre, incidunt; Thraſius ſeu Thraſillus, quem ad exorandas à Jove pluvias, Buſirim docuiſſet hoſpites immolare, interfectus eſt omnium primus. Ovid. in Ibin.

Vt qui poſt annos ſacri monſtrator iniqui,
Elicuit pluvias victima cæſus aquas.

Perillus quoq; in tauro æneo (quem ad reos torquendos excogitiaverat) à Phataride combuſtus eſt. Ovid. in Ibin.

Aere Perillæo veros mitere juvencos,
Ad formam tauri conveniente ſono.

Idem Lib. 4. de Arte amandi.

Et Phalaris tauro violenti membri Perilli
Torruit, infelix imbuit autor opus.

Phaloris quoq; Tyrannus eodem poſteà tauro incluſus, & crematus eſt, quò alios priùs ſuffocaverat. Ovid. in Ibin.

Vtq; ferox Phalaris, linguâ priùs enſe refectâ,
More bovis Paphio clauſus in ære gemas.

Complura vide in Raviſij Theatro Hiſt. ac Poëtico.

Omnes

XXIV.

Omnes res numero, mensurâ, aut pondere constant;
Quicquid ages, certi tramite finis agas.



All ding ihr Zahl/Maß han/ vnd Gwicht.
Zum Zweck dein Sach mit Witz anricht.

In-

XXIV.

IN ſtadio quidem omnes currunt, ſed unus accipit bravium 1. Cor. 9. Margarita, quæ tanquam præmium Sanctis propoſita fuit, Chiſtus fuit. Univerſi cucurrerunt, ut illud arriperent; ſed omnes juxtà fidem defuncti ſunt, non acceptis repromiſſionibus, ſed à longè aſpicientes, Hebr. 11. Exultavit Abraham, ut videret diem Chriſti, Vidit, & gaviſus eſt, Joan. 8. Vidit quidem, ſed arripere non potuit. Sic eum Jacob ſcalæ innixum vidit ſed non aſcendit per eam. Geneſ. 28. Odoratus eſt illum Iſaac, cum dixit: Ecce odor filij mei, quaſi odor agri pleni, Gen. 27. Sed guſtare non potuit. Uſque ad ſummitatem virgæ pervenit Jacob: ſed arripere haud valuit. Præclarum curſum fecit Joſeph, qui, ut expeditiùs curreret, pallium reliquit, ſed ad umbram ſolùm pervenit. Ut felix hic curſus abſolvatur, à longè ac retrò currendum, ut ad metam, ſive ultimum beatitudinis finem deveniatur. Ab infantia currendum.

XXV.

Tempora stultitiam gravitatem sæpè vicissim,
Deposcunt; prudens desipit atque sapit.



Der klug ist / vnd offtmals ein Thor /
Der kombt jetzt in der Welt empor.

Inter-

XXV.

Interpone tuis interdum gaudia curis.

DEſipere in loco dulce. Nonnulli tamen ſuâ in ſtultitiâ parùm ſapientes judicati ac habiti ſunt: Pſylli populi, dum Auſtrum ventum plùs nimiò haberent inviſum, ut ſibi ac terræ ſuæ obnoxiũ, ſumptis armis in eum hoſtiliter profecti ſunt, ceu vivum aliquem hominem, & non rem incorpoream peterent, Herod. lib. 4. & Gell. lib. 6. cap. 11. Melitides fuit ſtultus ab Homero celebratus, qui eversâ jam Trojâ, veniſſe legitur, auxilium laturus Priamo, Lucian. apud Eraſmum. Amphiſtides tantæ fuit ſtultitiæ, ut ignoraret, utro ex parente prognatus eſſet. Accon vetula ea laboravit delirio, ut ſolita ſit ad ſpeculum, ſuâ cum imagine, perinde ac cum aliâ muliere confabulari. Cælio authore atq; Eraſmo. Itaq; abluimus Æthiopem, ſtultum efficere volentes ſapientem, &

Pariſios ſtolidum ſi quis tranſmittat aſſellum,
Si fuit hic aſinus, non ibi fiet equus.

XXVI.

Pondere te metire tuo, nec viribus exi;
Nam tibi par, vel te fortior esse potest.



Niemand veracht / wer er sein mag;
Ein kleiner Held offt widerwag.

Quam-

XXVI.

QUamvis pusillus, non contemnendus hostis. Sordido sub paliolo vires latent. Exiguos masculos nullius esse valoris, æstimat mundus. Minutæ sunt gemmæ: at magni æstimantur. Frumentum multiplices profert fructus; Caniculus pulcher diligitur magis, ac dilato ore & capite crasso hians canis. Pisces magni non adeò sanitati conducunt, ac Gobij. Echeneis ingentes remorari naves valet. Proverbium erat Græcis: Amens longus. Cato infit:

Corporis exigui vires contemnere noli;
Ingenio pollet, cum vim natura negavit.

Licinius Calvus, orator facūdissimus, Aristoteles sublimis Philosophus. aliisq; parvi erant: attamen omnium doctissimi. Gigantes famosi mortalium erant pessimi. Verum quidem natu grandiores non inepto, semper esse, ac pravos: neq; parvos meliores. Neronem suspice.

X V I I.

Ignis ait: Noli me tangere, quisquis anhelat
Exitio, præceps ſpontè perire ſolet.



Wer nach Gefahr vorſetzlich ringt/
Sein Ebentheür plötzlich mißlingt.

Pyrau-

XXVII.

Pyrausta vermis est de specie araneorum, favis perniciosus. Volitat ad lucernas tantisper, dum combustis pereat alis. Hinc adagium: Pyraustæ gaudere gaudium: de momentaneâ ac brevi lætitiâ; namq; momentaneum, quod delectat, æternùm quod cruciat. Qui semel à recto desciverit, legesq; contemnere didicerit, is posteà fit ad omne improbitatis genus propensus. Si quis voluptatum imperium semel æquo animo patiatur, illum postea variarum belluarum induere formam. Neminem posse satis sibi à voluptatibus temperare, nisi divinam opem implorârit; Quare temperans putandus est Dei amicus. Opus esse eximiâ quâdam sapientiâ, ubi quis in aliquam turpem cupiditatem inciderit, ut inde pedem retrahere possit.

XXVIII.

Mens hominis latitat quærendo prolice vocem;
Erumpit ſubitò mens ſimulata forras.



Ein böſer Topff ſich bald verräht/
Alſo ein Schalck ſich leicht verredt.

Inſcru-

XXVIII.

INſcrutabilis eſt hominis animus: at loquela eum facit manifeſtum. Loquere, ut te videam, & mendacem oportet eſſe memorem. Melius verò eſt tacere, quam malè loqui. Cohibenda eſt lingua. Pugiones erant priſcis ſic doloſè tecti, ut nulla eſſet ſuſpicio latentis ferri, atque hoc vocabant Dolones. Hoc teli genus duplici fuit diſcrimine; aut enim nodoſus validusq; fuſtis pugionem abſcondebat, aut flagellum aurigarium. Maro lib. 7. Æneid. mentionem facit:

Pila manu, ſævoſq; gerunt in bella dolones.

His dolonibus doloſa lingua rectiſſimè confertur. - - - - Linguæ dolus tam priſco ſe ſtammate jactat, ut cum Orbem ſoli quatuor homines conſtituerent, inter eos tamen doli faber reperiretur. Narrat Poëta vetus, aurei & argentei ſæculi felicitatem, ſed eà tranſactâ

Protinus irrupit venæ pejoris in ævum
Omne nefas, fugere pudor, verumq;, fidesq;,
In quorum ſubiere locum, fraudeſq;, doliq;,
Inſidiæq; & vis, & amor ſceleratus habendi.

XIX.

Convenit effectum causæ subolesq; parenti;
Quid mala, nî malus, quàm mala mala ferat?



Wo Haut und Haar gar nicht ist gut /
Wie solt dar werden Adlich Blut?

Ana-

XXIX.

A Naturâ maligni ac nebulones rariſſimè deflectunt, in omne vitiorum genus declives. Æthiopem potiùs abluas; ac naturam licet furcâ impuleris, tamen uſq; recurret. Nullis legibus, nulla temperantur induſtriâ, omnibus exoſi. Iuſtis contrarii, innocuos opprimunt. Virtutis culmen ne attingent quidem. At

Nobilitas hominis
- Mens & Deitatis imago.
- Virtutum clara propago.
- Miſerum relevare jacentem.
- Mentem frænare furentem.
- Naturæ jura tenere.
- Niſi turpia nulla timere.
- Terrenas temnere dotes.
- Cæleſtia carpere regne. Ovid. in lib. de vetulâ.

Gualterius de Caſtilione canit --- Nobilitas ſola eſt, animum quæ moribus ornat.

Verum ---- Degenerant homines vitiis, fiuntq; minores,

Canit Claudianus ---- Virtute remotâ

Migrat in exilium nobilitatis honor.

XXX.

Ne quem despectes, nocet & parvissimus hostis;
Panicus & terror, sepè vel error obest.



Eine kleine Sach offt schreckt ein Mann/
Die er in Wind sonst pflegt zuschlan.

Gall

XXX.

GAlli cantus Leones terret, fugiuntq;. Timiditas ad probitatem facta, crebrò in vitia deflectit, si enim in ignavos affectus omnine transierit, qualemcunq; securitatem amans, tunc inepta virtutibus, nec privatis aut publicis rebus utilis, in vitium, illudq; fœdissimum degenerat. Quos autem hæc imbecillitas fregit, scire, nisi cum pericula instant, idcircò est arduum, qua sibi conscii turpissimi metus, diligenter illius indicia tegunt, etiam adornatis ad audaciam verbis, & discrimina quodammodo lacessentes, cum utiq; illa absunt. Cæterum injurias, contumeliam, cladem, quam timere tam pati idonei, ad omnem speciem minantis fortunæ horrescere; neque hæc mala, quæ tantoperè metuunt, forti canstantiq; studio, sed dejecto ac ignobili, declinare; virtutem singulorum atq; vim, ne quidem tentatam expertamve, supra suam timidè ducere, cunctosq; & odisse, & invitâ ingratâq; apud se veneratione mirari.

XXXI.

Optica cum radiis ad passus mille peragrat,
Et bombarda feras eminus icta petit.



Nicht alles für unmüglich halt/
Was du nicht weist und kanst nicht bald.

Non

XXXI.

NOn cuncta esse impossibilia patet in belluarum ac monstrorum domitoribus, atq; etiam in iis, qui alios à summis periculis liberarunt. Bellerophon, filius Glauci regis Corinthiorum, falso accusatus Stupri, à Stenobæa Præti Archivorum regis uxore, expositus est Chimæræ triformi, quam tamen domuit. Ovid lib. 2. de Trist.

Nam quid de tetrico referam domitore Chimaræ,
Quem letho fallax hospita pœna dedit?

Alcan Sagittarius Cretensis serpentem confodit illæso filio suo, quem ille jam habebat in faucibus. Corœbus monstrum toti Peloponeso formidolosum occidit. Ovid. in Ibin.

—— —— —— Quod dextra Coræbi
Vicit, opem miseris Argolicisq; tulit.

Difficilia itaq; factu, facilia etiam fieri posse, patet.

Tem

XXXII.

Tempore { *ceu belli* / *sic pacis* } *sperabo tempora* { *Pacis* / *Belli.* }



Im Krieg zu hoffen ist der Fried:
Im Fried zu förchten ist der Krieg.

Natu-

XXXII.

NAtura providentia eſt; ut Corruptio unius ſit generatio alterius, inquit Ariſt. Ipſa ſui depaſtrix, ſuiq; reparatrix eſt. Prædatrices rerum. 4. ſunt qualitates ſibi contrariæ; & eædem aliarum continuò genitrices, novâ exortâ re ex corruptâ priore. Ut nec pulex pereat, quin aliud indè exiſtat. Sic omnium ſunt rerum vices.

Nunc pluit, & claro nunc Iuppiter Æthere fulget.

Affulgente Pacis tempore, nil acceptiùs ac jucundiùs; etenim

Nulla ſalus bello, Pacem te poſcimus omnes.

Interim dum Pax aurea nitet, de futuris forſan hoſtibus maturè conſulendum, cavendumq;, miles conſcribendus, aliæq; ad id neceſſariæ proviſiones faciendæ; ſapientum enim eſt prævidere futura. Undè Ægyptij virum Sapientem cum ternis finxere capitibus, quorum uno præterita, altero præſentia, tertio deniq; provideret futura.

XXXIII.

Justo Deo sic proditor
Est odio ceu proditum
Et autor, ad ipsum malum
Unum, ferunt stipendium.



Verräthers / und Verrätherenen /
Sind beydes Gott dem Herren Grewel.

Tradi-

XXXIII.

TRaditiònem amo, odi traditorem. Qui tradunt, hos amo, qui tradidere, illos deteſtor. Plurimi fuêre tales reperti, indiesq; perfidi ſimiles conſpiciuntur. Zopyrus Perſa benignè à Babyloniis exceptus, urbem eorum Dario prodidit. Harpagus Aſtyagem dominum ſuum prodidit Cyro Perſarum regi. Jolas Alexandri pincerna Dominum ſuum veneno ſuffocavit. Ulyſſes Calypſo nympham, cujus hoſpitio ſeptem annos fuerat uſus, fide violatâ deſeruit. Propert. lib. 2.

Sic a Dulychio juvene eſt eluſa Calypſo,
Vidit amatorem pandere vela ſuum.

Cleomenes Spartanus Argivos, induciarum fiduciâ conſopitos, noctu invadens, alios contrucidavit, alios duxit captivos. Sic

Nuſquam tuta fides, nec hoſpes ab hoſpite tutus;

Itaq; Fide, ſed cui vide.

XXXIV.

Sit frons aperta, linguaparca, clausa mens,
Qui jure possit dicier Politicus.



Under dem Nahm Politicus,
Manch Bidermann viel dulden muß.

Palitici

XXXIV.

POlitici oculo ſimiles, cuncta vident, ſe unos non. Adæ pitidem qui Doctor creatus, rebus omnibus nomina dare ſcivit, cujuſq; apta naturæ, at ſibi uni non: ſe vel nudum eſſe neſciebat. Tales hodiè multi ſcioli; at ſuorum neſcij atq; ſalutis, rerumq; conſcienriæ. Terrena ſapiunt. Aquilæ, ac Lynces in ſæcularibus multi; Tolpæ in ſpiritalibus. Aliis, non ſibi ſapiunt, conſuluntq; Qui ſapit fronte eſt aperta; nil in eo ſubdolij; complures verò extant atque extitére doloſi, velut Ulyſſes ac Syſiphus; Hom. apud Eraſm.

Syſiphus in terris, quo non aſtutior alter.

Sapiens quoq; linguâ eſt apertâ, mente clausâ; freda namque oris eſt eluvies, atq; omnia in buccam venientia effutire delirum: Vita verò, quæ pari cum verbis ambulat gradu, adproba eſt.

XXXV.

Blandidur caudâ canis, & ſua munia præſtat,
Heri ferendo literas ad hoſpites.



Ein Hund ſein Herren meint mit Trewn/
Wie ſolt dann Trew ein Menſch gerewen?

Fide-

X X X V.

FIdeles exiſtunt Canes ac ſolertes. Argus canis fuit Ulyſſis, qui reverſum ab expeditione Trojanâ dominum poſt annos viginti fertur agnoviſſe. Chiron canis fuit Codri Poëtæ pauperrimi Juvenal.

— — — — *Et recubans ſub eodem marmore Chiron.*

Durides canis fuit Lyſimachi, qui accenſo Domini rogo injecit ſe flammæ, authore Plinio lib. 8. Gravis nomen eſt Catellæ, qua Arethuſa abſentis mariti deſiderium ſolabatur. Propert. lib. 4.

Gravidos & catulæ vox eſt mihi grata perennis.

Iſſa nomen eſt catellæ, quam Publius habuit in deliciis Mar.

Iſſa eſt paſſere nequior Catulli:
Iſſa eſt purior oſculo columbæ:
Iſſa eſt blandior omnibus puellis:
Iſſa eſt charior Indicis lapidis?
Iſſa eſt deliciæ catella publi.

Lethargus Hippammonis cum mortuo etiam Domino eſt tumulatus. Canis Pyrrhi Epirotarum regis in Domini rogum ſe conjecit.

XXXVI.

Ore capit mures felis, pede captat eosdem
Catellus, hosq; devorat.



Natur nicht leichtlich läst von Art/
Doch sich offt find vff frembder fart·

Natu-

X X X V I.

NAturam expellas furcâ: tamen uſq; recurret.
— — — — — — Tolle periclum,
Jam vago proſiliet frenis natura remotis.
Aſſueſcere à teneris multùm. - - - - Venaticus ex quo
Tempore cervinam pellem latravit in aula
Militat in Sylvis catulus.
Quo ſemel eſt imbuta recens ſervabit odorem
Teſta diu.
Neq; facilè natura expellitur; nam
- - - - - Ad mores natura recurrit
Damnatos, fixa & mutari neſcia. Itaq;
Nil dictu fœdum, viſuq; ea limina tangat,
Intra quæ puer eſt.
Magna ergo res eſt proba prolis educatio, & vel ab ipſis cunis adhibenda;

XXXVII.

Eequis amor Russi, qui uxorem cædit amore?
Nec nisi, quàm plagis uxor amare cupit.



Ist das nicht thorecht Weiber liebn /
So man muß dicht mit Schlägen prüffn!

XXXVII.

UXoribus Russorum, ultrà Poloniam, longa est captivitas, quas domi seriò continent, dignas quoq; majoribus malis: adeò servilibus suprà fidem ingeniis demissas esse ajunt. Virorum in se benevolentiam ex verberũ numero æstimant: nunquam meliùs suo judicio habitæ, quam cum in sæva ingenia inciderunt. Quidam è Germania in Mescoviam migraverat, vir è plebe, & si nomen in tantilla re placet, Jordanes dicebatur. Hæ sit ergo in illa regione, & cùm sibi eæ sedes placerent, indè etiam duxit uxorem, Hanc cum charam haberet, omnibusq; efficiis mutuam gratiam affectaret, illa dejectis luminibus mœsta, crebrò, in singultibus, & cæteris mœrentis animi indiciis erat. Viro deniq; sciscitanti mœstitiæ causam; Quid tu, inquit illa, tàm egregiè fingis amorem? Num putas latere me, quàm tibi vilis sim? Ubi sunt verbera, quibus te amore docuisti? Hoc certe potissimùm pacto maritorum in uxores apud nos benevolentia & cura sancitur. Hoc audito, primùm stupor continuit risum; mox utroq; vanescente, arripuit cædentæ mulieris causam; & illa fustibus mitigata, tum primùm bonâ fide amare & colore virum cœpit. Nec tenuit ille modum; grandi enim ictu dicitur hujus etiam crura & cervicem afflixisse.

XXXVIII.

Cui fidas, videas; tanta est ſimulatio ſæcli!
Si quis ait, negat is: ſin negat, ipſus ait.



Es iſt nun worden gar gemein/
Betrügen Leuth mit Mund und Schein.

Qui-

XXXVIII.

QUidam in omnibus rerum exordiis induunt non veram, & ideò majori ſpecie ſubornatam prudentiam: veluti maturâ ſapientiâ compoſiti, verba tardè euntia deducunt, lento vultu, & aſtum cum humanitate fingentia. Non quicquid ſplendet, eſt aurum; neq; id omne, quod amicitiæ nomen habet, familiaritas eſt. Aman à fratre Abſalone ad convivium invitatus, vitam deperdidit. 2. Reg. 19. Melius eſt, inquit Salomon, vocari ad olera cum charitate, quàm ad vitulum ſaginatum cum odio. Fraudulentus eſt mundus aſtutus, ſubdolus, verſutus, vafer, veterator, tortuoſus, callidus. Aliud agit, aliud ſimulat. Fando decipit, ut canit Ovid. lib. 1. de Arte.

Tuta frequensq; via eſt per amici fallare nomen,
Tuta frequensque licet ſit via, crimen habet.

Veritas mundo eſt palliata, vel ad alterius odium, vel commodum ſuum reſpicit. Vulpes ſunt: verum maledictus doloſus. Malach. 1. v. 14. Molliti ſunt ſermones ejus ſuper oleum, & ipſi ſunt jacula. Pſal. 54. Recreant aures, feriunt corda; Itaq;

Vir vide- , quid cui dic- , dum magnus hab-
Et vide- as, ne fortè ru- as, dum ſtare vid- eris.
Proſpicio, quem deſpici- , dum lædere qua- ,

XXXIX.

Sæpè malum peperit mora: festinatio sæpè:
Festina lentè; sat citò pervenies.



Wer eilt mit Weil/ zurecht auch kümbt:
Groß Eil sehr offt ein Mißfall nimbt.

In

XXXIX.

IN arenâ consilium;

Temporis in puncto qui sapit, ille sapit;

— — — — — — — — Nocuit differre paratis; nec enim de die in diem differendum.

Quod facis, hoc cito fac.

Veni, Vidi, Vici. Periculosa cunctatio; Nec tamen semper probatur; periculum enim sæpiùs in more.

Vnus homo quidem cunctando restituit rem.

Non omni tempore consultum. Et minùs præmeditate aggredi opus, nocivum; Quarè ut Latinis Proverbium est:

Festina lentè.

Sat citò, si sat benè.

X L.

Quid Germana fides, quæras? an dextra utrumque,
Dextra fidem stabilit, constabilitque merum.



Der Teutsche Trew / mit Hand und Wein /
Muß stets / beym Trunck / bestettigt seyn.

Prodi-

X L.

PRoditores, ac perfidi omnibus ſunt exoſi. Ptolomæus Judæus, Abobi filius, Socerum ſuum Simonem Judæorum Principem, convivio exceptum, cum duobus filiis interfecit, regnandi cupiditate. Zopyrus Perſa benignè à Babyloniis exceptus, Urbem eorū Dario prodidit. Anibal Senior appellatus, Aſtrubalis filius, cùm primo bello Punico totam Italiam vaſtaret; Corneiium Aſinam Conſulem, ſpe pacis vocatum ad colloquium, Punicâ fraude interfecit. Non tales extant proditores Germani: verùm fidem ſibi invicem, atq; inter pocula quidem, addictam, sanctè ſervant. Fraudis, perfidiæ, & ſcelerum ingentium expertes: neq; odia ſub amicitiæ titulis latent, atq; omninò ingentia ſcelera verecundus populus ignorat. Apud hanc gentem aperti mores placent. Omnem ſpeciem reconditi aſtus odére. Germani nullâ comitate ſuaviùs, quàm longo nec ſobrio convivio peregrinos excipere credunt: & tunc veriſſimam ab ipſis hoſpitibus benevolentiam in ſe expromi, ubi mutuis poculis inundare non abnuunt. Id ſumma urbanitas, & coëuntibus primâ amicitiâ animis, in fœderis locum. Pretioſum eſt amicitiæ pignus, quod bibendo cum Germanis ſancitur.

L X I.

Quid juvet iratos, & quid juvet esse minaces!
Contrà hostis vim nil ira minæq; valent.



Ein grosser Zorn / so ohne Macht /
Von jederman wird recht verlacht.


X L I.

Vana est ſine viribus ira.

AD iracundiam atq; indignationem nonnullis maximè proclivis eſt animus, nec facilè poſt primos impetus mitigant. Ob muſcæ aut pulicis unius morſum adeò irâ exæſtuant, ut mundum inverſuri videantur. Virum ſtultum, ait Job. c. 5. interficit iracundia, ac Zelus & iracundia minuunt dies, inquit Eccl. 30. Itaq; moderandum iræ. Priſci in Symbolum iræ moderatæ pingebant quercum, ramis oliva intercurrentibus; quòd animus irâ durus ſit lenitate temperandus. Pier. lib. 51. Hieroglyphic. Quercus, ait, eâ inſignis aſperitate, quæ omnibus conſpicua eſt, non immeritò fertur uſq; adeò inimica eſſe oleæ, ut eam juxta ſe poſitam extinquat. Olea verò cùm ſit pacis, manſuetudinis ac lenitatis indicium, excogitatum eſt Quercum oleâ complicare, cum iracundiã atque inexorabilem animi aſperitatem ſeſe ad lenitatem dediſſe ſignificandum fuerit. Certè, Ariſt. ait, Herois eſſe, tardè iraſci, & iræ citò obliviſci.

X L I I.

Arma juvant Leges:
Leges arma juvant.



Gesetz und Waffen wol beysammen/
Sich fügen/ und an ander hangen.

XLII.

In toto mundo Lex, Ars, Mars cuncta gubernant:

NUnquam pulchriùs, quàm à Sapientibus Resp. gubernantur. Illos, cùm Optimates vocant in publicæ felicitatis partem, seipsos quidem primùm, quasi illius genij participes, commendant, tum Reip. nervos addunt, Lex est hominum Regina. Belluarum est, quæ sibi invicem ratione persuadere nequeunt, armis, ad hominum ratione disceptare; cùm honorificentissimum telum sit innocentia & æquitas Qui semel à recto descivit, legesque contemnere didicit, is postea fit ad omne improbitatis genus propensus. Bello verò barbaræ ac gentes efferæ atq; effrænes sunt domitæ, & domantur atq; ad vitam rectè instituendam, administrandamq; justitiam., bello devictæ, instituuntur; edoctæ id, quod canit Virg. lib. 6. Æneid.

Discite justitiam moniti, & non temnere Divos.

XLIII.

Qui solis oculis alienis cernit, & audit
Auribus, atq; animo consulit, is miser est.



Das ist gewiß ein elend Mann/
Der frembden Raht stehts flehet an.

X L I I I.

Væ tibi, Terra, cujus Rex puer est.

OPtare bonos ac ſapientes Principes, pietas eſt. Diverſæ ad Regum purpuram viæ, non unam omnibus mentem injiciunt: ſeq; longè aliis conſiliis regere ſolent: qui novas habenas in rudem adhuc imperii populum moliuntur, quàm qui jam aſſuefactis gentibus, tutò, ac per ipſarum vota regnant. Rurſus alius ſenſus eſt hominis ſceptrum per ſuffragia adepti, alius paternas atq; avitas opes tenentis, cum hæreditate imperandi. Artibus parta malis regna, Reges aut amittunt, aut ſecum everſa obruunt. Rex ſe hominem meminerit. Triumphantibus Romæ ſervus à tergo inclamabat: Memento hominem te eſſe; Sin, regnorum everſio, Regum eſt crudelitas, adeoque beſtialitas. Miſer ad hæc Regis eſt ſtatus ac conditio alieno ſemper nutu atq; arbitrio regentis.

Suf-

XLIV.

Sufflatis caligis mediis incedit in undis,
Interra pedibus qui modò fecit iter.



Kunst der Natur offt ahmet nach /
Was nicht Natur die Kunst vollbrach.

Cun-

XLIV.

CUncta stupenda ac præcellentia in Orbe Natura produxit: aurum, argentum, uniones, margaritas, &c. rerum omnium species admirando, quibus contemplandis humanus non satiatur animus; rara simul ac portentosa naturæ opera conspiciuntur: Naturam ars imitatur: per immensos vela pandit Oceanos, tutaq; rransvehitur: Artificia naturæ simillima elaborat; exquisitissima prætiosissimaq; fuerunt diversorum opera: Phydiæ, Praxitelis, Apellis, Protogenis &c. Naturam penè excedentia; Ars perficit naturam.

XLV.

Qui manibus mancus, naturâ ſcribere neſcit,
En pedibus lepidum ſcribere diſcit opus.



Was offt die Natur nicht vermag/
Gewonheit endlich bringt an Tag.

Admi-

X L V.

ADmirandum eſt naturæ artificium, atq; ingenij humani vis ac potentia. Multi adeò felici ad ſcientiarum aliquam ingenio nati ſunt, ut eis Ars ſuppetat, quod natura negavit. Nulla eis prudentiæ atq; induſtriæ ſigna deſunt. Conſuetudo altera eſt natura. Vidimus manibus carentes fila texere, literas pedibus exarare. Conſuetudo altera extat natura. Singulis mortalibus proprium aliquid natura conceſſit: prorſuſq; ingenti miraculo, per tot ſæcula & nomina populorum, admirabilem quandam virtutis indidit lucem, quâ alere ſe atq; enutire ſuos valeãt. Licet verò, tanquam eminentes in condenſis ſylvis arbores, præcipua ingeniorum & affectuum genera intueri, quibus homines agi ſolent, ac propemodum componi, ſimulq; à cuteris inſigni diſcrimine ſeparari.

XLVI.

Quin quod ludentem, lapides talosq; moventem
Vidisses pedibus, quæ manibus caruit?



Gewonheit auch vielmahl erſetzt /
Was in der Natur iſt verletzt.

Non

XLVI.

NOn ſuperflua erit cogitatio recenſendi diverſiſſimas hominum claſſes, in quibus ſe unusquiſq; inveniet, & qualis eſſe poſſit, ex imagine deprehendat; juvat affectus, impetuſq; mortalium, bonis ſuis ſtipatos. Faciles eorum induſtrias admiramur, & qui meliori eruditione imbuuntur. Rerum omnium ſcientiarumq; primos ſpecies, etſi à naturâ ſibi negatas, facillimè ac penè non cogitantes admittunt: Ingens quidem argumentum eſſe crediderim, impetu & veluti fortunâ tantam rerum copiam ab iis conquiri. Et ut maximam habent ſpeciem cultæ indolis, & per omnes ſcientias adornatæ, debita ſapientiæ bona occupant.

XLVII.

Materiem natura rudem producit, at arte
Corpus Vulcanus Spirituale parit.



Kunst offtmals übertrifft Natur/
Und bringt ein Ding subtil herfür.

XLVII.

NAturam Ars quandoque excedit; cernere id licet in eductis de ſubjectâ materiâ nobiliſſimis atque excellentiſſimis rerum ſpeciebus ac ſubtilitatibus, à natura haud productis, verùm ab ingenio humano, arte atque induſtriâ extractis; imò & quinta, Arte Alchimiſticâ, produci ſolet eſſentia; Specta Myropolia Unguentariorum & Pharmacopolarum; Plumariorum textrinas, atque officinas Phrygionum, ac admirandas rerum præcellentiſſimarum ſpecies exhibebunt contemplandas, arte effectas, magni ſplendoris ac pretii, longè naturam excedentes; ſicque Artem ſuperare naturam patet.

XLVIII.

Errat, qui nuper putat adventasse spagirum,
Corpore in humano prisca Chymia latet.



Die Chimisch Kunst ist alt/nit new/
Ins Menschen Leib stickt ihr Gebäw.

Rerum

XLVIII.

RErum naturalium ſcriptores antiquiſſimam tradunt eſſe Alchymiam, quæ naturam æris, hydrargyri, metallorum in argentum excoctum mutare poteſt, diverſarum ſpecierum extractus, olea, ſpiritus, quintaſque efficit eſſentias, ſuccus ex diverſi generis rebus elicit. Nos affirmamus nihil id novi eſſe: Verùm à tempore, quo primus hominum creatus eſt Parens, jam tum viguiſſe; Latuit enim in ventriculo humano, unam in aliam, vi caloris naturalis, convertente ſubſtantiam; non itaque habent, undè ſe Chymici extollant.

XLVIX.

Ex cinere illustre est vitrum, vi flantis & ignis,
Corpora quid nõ olim splendida nostra forent?



Materi Kunst offt übertrifft/
Auß schwartzer Asch hell Glas zuricht.

XLVIX.

TYpus Resurrectionis & imago quædam in rebus etiã naturalibus reperitur, v.g. in semine moriente, & postea repullulante, ac quasi resurgente; Undè Augustinus: Tota hujus mundi administratio, testimonium est Resurrectionis futuræ: Videmus hyemis tempore arbores spoliari pomis, & foliis, sed & verno speciem resurrectionis exprimere, quæ quidem incipiunt primò surgere in gemmis, ornari floribus, vestiri foliis, postmodum pomis gravari; Interrogo te, ô infidelis homo, qui de Resurrectione dubitas, ubi sunt ista, quæ tempore isto, quo Deus disposuit, producuntur? Dic mihi, ubi latitant, antequam producantur? Quæ nusquam quidem videntur; sed tamen Deus, qui omnipotens est, secretâ suâ virtute producit. Sic & herba, quæ antè vixit, & moritur, rursus reviviscit ex semine; ita & nostrum corpus reviviscet ex pulvere. Hæc Augustinus.

Inter Resurrectionis symbola, etiam pulchrum est Symbolum Hydrargyri, sive argenti vivi; si enim in minutissimas arenulas, & quasi atomos manu diducas, ita ut in pulvisculos evanescere videantur, mox ut eos rursum manu associas & conjungis, in pristinam formam confluendo redeunt, & quasi reviviscunt.

L.

Omnia vincit amor: sed tandem somnus amorem;
Fortius imperium somnus amore gerit.



Amor nicht alles überwind/
Der starcke Schlaff stürtzt Venus Kind.


Omnia

L.

OMnia vincit Amor. In recenſendis mortalium affectibus, præter fas eſſet Amoris obliviſci, qui quoſdam vehementer ſuis imbuit curis, ſibique propiùs addicit. Eſt autem blanda & irrequieta cupiditas. Et is quidem, velut inſidiis, ita irrepit, ut nos antè ſentiamus amare, quam inſtituamus de amando conſilium. Pertinax amoris eſt affectus. Licet verò fortis exiſtat, vinci tamen poteſt; à ſomno quoque; Si Endymonis ſomnus dormiatur. Somnus profundior adimit omnem ſenſum atque animum. Arctum dormiens ſomnum, ignorat amorem.

FINIS SYLLOG. I.





JACOBI BORNITII
EMBLEMATUM
SYLLOGE II.

I.

Corda ferit verbo patulas resonante per aures,
Perque oculos signis pectora fida movet.



Durchs Wort und Zaichen würd regiert
Die Kirch/daß Sie Gotts Krafft verspürt.

Dei

I.

DEI verbum ſacro in elogio multis ac diverſis rebus comparatur: Malleo conterenti petras. Igni conſumenti. Lucernæ, lumini ac luci, in viam Domini pedes noſtros dirigendi. Pani, ciboq; ſpirituali, de quo vivit homo. Emplaſtro ſalutari, cuncta ſananti. Auro, margaritæ, unioni &c. S. Jacobus admonens homines, ut ex verbo Dei fructum percipiant, & ſecundùm illud operarentur, admirabili quadam ſimilitudine explicuit, quod ex eo, quia illud audientes non ſervarent, proveniebat, quod illud opere non exequerentur, dicens, Jacob. Eſtote factores verbi, quia ſi quis auditor eſt verbi, & non factor, hic comparabitur viro cōſideranti vultum nativitatis ſuæ in ſpeculo &c. Ubi notandum eſt 1. illud: Fallentes voſmetipſos; decipit namq; homo ſeipſum, cùm ſolummodò contentus eſt verbum Dei audire. Poſuit quoq; ſimilitudinem viri; quia qui ſunt viri, & non fæminæis moribus aſſuefacti, ſi faciem in ſpeculo conſpiciant, eſt tam celeriter, &, (ut ajunt per tranſennam), ut ſtatim obliviſcantur imaginis ſuæ illic perſpectæ.

II.

Ut vigilent homines, de nocte dieque laborant;
Ni Deus aspirit, nil labor omnis erit.



Wo Gott sein Gnade nicht verleit/
Vergebens müh ist/und arbeit.

Abs-

II.

ABſque Dei benedictione fruſtrà jacitur rete, fruſtrà laboramus. Complures diu noctuq; ut victum ſibi atq; alimenta comparent, variis affliguntur curis, & ſolicitudinibus premuntur, toti in labores incumbunt, currunt, ſudant, cunctas corporis animæq; vires indefeſſo labore admovent: verùm nil eis indè emolumenti provenit; Eccur? In Dei nomine non incipiunt, nec in ejus verbo laxatur rete. Benedictio Domini divites facit, non labor ſolus atque induſtria. Quicquid agitur extrà Chriſtum, nihil eſt. Cum laboribus noſtris omnibus, citrà Dei gratiam factis, fruſtrà laboramus; Sine me nihil poteſtis facere. Joan. XV. Niſi Dominus ædificaverit domum &c. In cunctis negotiis noſtris, in Dei nomine laxandum eſt rete, alias nil efficimus.

III.

Vindicta compedit mihi,
Quâ par resarciam tibi.



Die Raach dem HErrn allein befihl/
Zu seiner Zeit vergelten will.

Mihi

III.

MIhi vindicta, & ego retribuam, inquit Dominus, Deut. 32. Solent canes se mutuò mordere, & allatrare; Sic multi in proximos insurgunt, verbis mordent, dentem infigunt contumeliis, allatrant & in absentes detractionibus, & cum personam nequeunt, ejus famam lædunt & honorem. Multi Christianorum sese rodunt, dilacerant, devorant, odiique ac invidiæ veneno se pascunt interius, aut potiùs depascuntur. Horatius quoque;

Invidus alterius rebus marcescit opimis.

Cain videns Abelis fratris sui fortunas, feliciore semper incremento quàm suas augeri, eundem interemit. Gen. 4. Christiane, nequaquam feritatem pones? In vindicandes vindicat Deus. In fratres Joseph miserè ab ignoto fratre tribulatos, Gen. 44. In Jezabelem præcipitatem, & à canibus discerptam. 1. Reg. 21.

Atècontra injuriarum remissores Deus remuneravit injuriarum non minima est prædestinationis nota.

Lex

IV.

Lex immota Dei est, non hâc, nec flectitur illác,
Addere cui quicquam, aut demere, grande nefas.



Unwandelbar ist Gotts Gesetz;
Drumb nichts darzu/nichts darvon setz.

Ad

I V.

AD verbum meum nihil addes, nec de eo quicquam demes; aliàs disperdet te Deus. Nihil autem est 1. Propter pronuntiationem Propheticam, in articulis fidei Christianæ, quod non fuerit priùs à SS. Prophetis divino spiritu pronuntiatum. 2. Propter Scriptorum Sanctimoniam, qui non sunt mentiti; Nam, qui considerat, quantæ sanctitatis fuerit Moyses, de quo dicitur Eccl. 46. Dilectus Deo & hominibus Moyses. Et Propheta ait Ps. 102. Notas fecit vias suas Moysi. Et ipse Deus inquit de Moyse: Ore ad os laquor ei. Palam. non per figuras & ænigmata videt Deum. Num. 12. Prætereà, quis dicere posset Esaiam, Hieremiam, Danielem, Ezechiam, cæterosque Prophetas fuisse mentitos, de quibus ait Augustinus: Dico illorum hominum non tantùm linguam, sed & vitam fuisse Propheticam. Quis Joannem Baptistam, in utero matris sanctificatum, credet mendacia protulisse? Quo quidem Joanne non surrexit major inter natos mulierum, quique tantæ fuit sanctitatis, ut Messias esse putaretur. Quis hoc credet de Petro, Paulo, Joanne Evangelistâ, cæterisque Apostolis, de quibus Augustinus ser. 2. de Epiph. Apostoli, velut alii Cæli, narraverunt nobis gloriã Dei? 3. Propter martyriorum tolerantiam. 4. Propter Ecclesiæ stabilitatem firmitatem, & permanentiam.

V.

Fortuitum in mundo nihil eſt; Deus omne gubernat,
Et quod fortuitâ vi cecidiſſe putas.



Nichts in der Welt ohngefehr gſchicht/
Durch Gott das Glücke ſteht und bricht.

Nihil

V.

NIhil prorſus in Orbe fit (peccato ſolùm excluſo) ſine Dei voluntate. Fortunæ ſeu ridentis, ſeu ſævientis imperium nullum eſt. Hæc idololatrarum ſomnia ſunt, qui humanæ vitæ viciſſitudines, à neſcio quâ deâ, diſpenſari fingebant. Auguſtinus irridens: Quomodo ergò, inquit, dea Fortuna aliquandò bona eſt, aliquandò mala? an forte? quandò mala eſt, dea non eſt, ſed in malignum dæmonem convertitur. Aug. l. 4. de Civ. cap. 18. Chriſtiana ſapientia fortunam omnem exſibilat. Bona & mala, vita & mors, paupertas & honeſtas à Deo ſunt. Quandoquidem itaque Dei nutu imperioque fit, quicquid fit in orbe, par eſt, ut omnia de manu Dei acceptemus, ſanctiſſimæ illius Voluntati noſtram per omnia, & in omnibus ita conformantes, ut nihil incertis eventibus, nihil caſui, nihil fortunæ adſcribamus; hæc veterum monſtra ſunt, inter Chriſtianos minimè toleranda. Vera, ſapiens & ſancta eſt Philoſophia illa: Dominus fecit hæc omnia. Nam, quod monuimus: Bona & mala à Deo ſunt.

VI.

Quid dubitas, olim quòd corpora noſtra reſurgent?
Defuncto ex grano florida vita redit.



Was newgebohrn wieder ſoll werdn/
Muß zuvor ſterben in der Erdn.

Phi-

V I.

PHilosophis quidem ignota fuit Resurrectio; Paulum enim irridebant in Areopago multi, Act. 17. cùm audissent resurrectionem mortuorum. Difficile illis erat intelligere, quomodo idem corpus, post tot transmutationes resurgat, & eidem animæ uniatur. Sed, si divinam omnipotentiam consideremus, nihil est difficile illi, qui ex nihilo corpus & animam potest creare, quod & docet Augustinus Enchir. c. 38. Undè hæc facilitas describitur Ezech. 37. Ubi constituitur Propheta in campo, pleno ossibus mortuorum, & vox ait ad ipsum: Fili hominis, putasne vivent ossa ista? Et dixi: Domine Deus, tu nôsti. Et jussus est Propheta clamare: Ossa arida audite verbum Domini: Ecce, ego intromittam spiritum in vos, & vivetis, &c. Hinc etiam Daniel de hac Resurrectione loquens, dicit Dan. 12. De his, qui dormiunt in pulvere, evigilabunt alii in vitam æternam, alii in opprobrium. In qua scriptura significatur, tam Deo facilem esse resurrectionem, quàm sit dormientis suscitatio.

Qui cupis in vitam cælorum pergere, prisci
Linque hominis, nec non indue schema novi.



Wer wandern will ins newe Lebn/
Der muß die alte Haut ablegn.

Per

V II.

PEr glorioſam Reſurrectionem ſuam Chriſtus nos inſtruxit: 1. Ut ſicut ipſe à mortuis reſurrexit, ita & nos à morte peccati reſurgere debere. Recordare, quomodo corpus Chriſti à peccatoribus in acerbiſſimâ ejus paſſione deformatum, accedente Reſurrectionis momento, reformatum ſit ita, ut nivem candore, ac ſplendore Solem ſuperârit. Paulò antè non erat ei ſpecies, neque decor, & in puncto Reſurrectionis ſuaviſſimâ pulchritudine, & puriſſimâ luce præditum apparuit. Ad hunc modum mediteris reſurrectionem animæ, quæ in peccato mortua erat, ac per gratiam reviviſcit; in puncto enim illo, ex imagine diaboli horrendâ, tranſit ad ſimilitudinem Dei, ex tenebris infernalibus ad ſereniſſimam lucem, ex deformitate turpiſſimâ, ad pulchritudinem, quæ lapites molliret. 2. Ut ſicut Chriſtus poſt Reſurrectionem in novitate vitæ ambulavit, ita & nos, ut ultrà non ſerviamus peccato. Rom. 6. Serpentis inſtar veterem exuentes pellem.

VIII.

Solis ad aſpectum ſi acies mortalis hebeſcit,
Enthea ſcrutari mens tua cæca nequit.



Der irrdiſch Menſch gar nichts verſteht/
Was in deß Geiſtes Krafft beſteht.

VIII.

INæstimabile damnum sibi acquirunt, qui Deum per peccati consensum & affectum deserunt. Ex hac Dei derelictione emergens damnum est Cæcitas, quoad cognitionem rerum cælestium; Quemadmodum enim Sole absente, nullam rerum formam distinguimus, sed omnia obscuritatis velamine obteguntur, ut dignosci nequeant, rerumque excellentiæ ponderari nequit; Sic etiam absente justitiæ Sole Christo, adeoque fidei lumine, in tenebris errorum versamur, ut cognoscere res divinas omninò non valeamus; Undè veluti febricitantibus non sapit cibus; quia palatum infectum habent; Ita neque nobis, sic derelictis, manifestum evadit, quàm dulcia sint eloquia Dei.

Per fœdam ergò peccati ruinam, quâ à Dei gratia excidimus, usque adeò cæcutimus, ut nigrum album, & bònum dicamus malum. Ambulabunt ut cæci, inquit Propheta Sophonias, cap. 1. quia Domino peccaverunt, & David: Nescierunt, neque intellexerunt, in tenebris ambulant. Psal. 81. Esaias quoque cap. 59. Palpavimus sicut cæci parietem, impegimus meridie, quasi in tenebris.

IX.

En quale ante oculos! cùm sæva podagra dolores
Elicit, & planctus ignibus usta suis!



Wer allhie leid die Brunst der Gicht/
Darff leiden dort kein Jegfewr nicht.

Fel-

I X.

FElleæ bilis filia, ipſo timenda nomine, atrox tyrannis Podagra! membrifraga Erynnis. Oſſium commiſſiones ut ſubintras, Tyrannidis regiam. Oſſa decurtas corpore integro, & manus privando manibus, pedibus pedes, reſumptis viribus redivivos, morte enecas quotidianâ. Quanta calamitas! Plumarum in equuleo non extendis, ſed contorques miſeras, ut gemitum extorqueas; aqueas compedes injicis pedibus, manibus, nunquam ſuæ reſtituenda libertati. Semel hoſpes, ſemper hoſtis; Sævitiæ notas corpori inſcribis tales, ut catalogo mortuorum aſſcribas vel vivos. Crudeliter adeò ludis cum homine, ut moriatur antè mortem, & membris emortuis ſuum præcedat funus; Ignis non es; nam extingui non potes: accendis tamen flammas; Nix non es; nam liquefieri non potes: congelas tamen in calcem aquas. Patibula erigis, ô quot! Certè ſubalaribus patibulis affixi ſunt podagrici. Quæris, quid ſit podagricus? Eſt viva ſpirans fornax calcaria. Si patienter feratur, loco erit Purgatorii. Hîc ure, hîc ſeca, modò in æternum parcas.

X.

Arguit en culpæ, Cor idem argutam probat, atque
Iudicat & damnat, plectit & exequitur.



Wer sündigt/ hat in seim Gewisse
Den Kläger/ Zeugen/ und Schultisse.

Con-

X.

Conſcientia mille teſtes.

MAxima pœna ſuum geſtare in pectore teſtem. Potiùs Urſis, Leonibus, Lupis, aliiſque ferociſſimis cohabitandum foret beſtiis, quàm furentem adeò atque inſanientem geſtare in corde vermem. Caino hunc in vita vermem ſentienti totus non ſufficiebat Orbis, in tantas fuerat conſcientiæ anguſtias redactus; Judas Iſcarioth, ideò deſperabundus, laqueo vitam finivit. Pravæ mentis gravamen eſt atque animi perturbatio ſive anxietas. Indicat id Salomon, Sap. 17. Semper timet ſæva perturbata conſcientia. Feſtes ſunt primi Parentes, qui in voluptatis exiſtentes Paradyſo, quamdiu in innocentiâ primâ perſtitere, & gratiâ ornati, magnâ cordis quiete fruiti ſunt; At quamprimùm divinæ Majeſtatis præceptum violârunt, gravata eſt eorum conſcientia, tantuſque timor cor eorum invaſit, ut à facie Domini abſcondere ſe tentârint; Conſcientia illos preſſit. Ipſa comparatur juſto judici, perpetuæ Accuſatrici, experiiſſimo Medico, truculento Carnifici. Luculentum anxiæ conſcientiæ teſtimonium habetur in ſupradicto Cain, Filiis Jacob, Herode atque innumeris aliis. Pravæ conſcientiæ gravamen ingens eſt animi triſtitia. De ſalutis æternæ conſecutione deſperatio.

XI.

Qui ditat, Deus est, Deus est, qui pauperat idem,
Seu bona, seu mala sint, fecit in urbe Deus.



Das gut und böß der HErr bereit/
Zur Gnad/ und Straff/ in Grechtigkeit.

XI.

Regius Propheta de Deo loquens, inquit Ps. 111. Gloria & divitiæ in domo ejus, cælesti, ac terrenâ. Ab ipso omnia. Paupertas & honestas à Deo sunt. Deducit ad inferos, & reducit. Ditat & pauperat. Humana itaque voluntas divinæ in omnibus conformanda; Hæc cælum est extra cælum, ac vera vitæ beatitudo. Beatus es, & benè tibi erit. Ps. 127. quisquis hanc propriæ voluntatis cum divinâ conformationem perfectè attigaris, omniaque velut de manu Dei cupidè amplexatus fueris: hæc tua in hoc Orbe inferiore beatitudo erit; frueris perenni quodam gaudio, & lætitiâ non multis notâ; hac enim felicitate fruuntur homines intimâ familiaritate Deo conjuncti: Beatus es, & benè tibi erit. Uti autem in cælo nulla est vicissitudo, nullum (sic loquar) heri aut hodie, sed continuus quidam sibique semper simillimus æternæ voluptatis affluxus, isque invariabilis, & nunquam non simul totus; Ita & ii, qui hanc suæ & divinæ voluntatis unionem adepti sunt, jam penè immutabiles, quicquid ærumnosæ vicissitudinis intercurrit, rationis imperio premunt: Omnis eorum gustus & oblectatio est Dei beneplaci beneplacitum. Quietem illorum, si fortè quid incurrat, nihil est certè quod evertat. Patet in Jobo. Qui confidunt in Domino, sicut mons Sion commovebitur in æternum.

Ne

XII.

Ne tenta Dominum, concessis utere caussis,
Audacem infelix sequitur exitium.



Auff deinen Weegen soltu gehn/
So würd dich kein Unglück bestehn.

Im-

XII.

IMpavidæ ad pericula mentes, ſuiq́ue plùs nimiùm ſecuræ, crebrò in exitium trahuntur. Impetu inſignes ſunt,ad flagitia licet divertentes. Temeritate feruntur illi homines in vitii partes. Hunc affectum,cùm non ſatis ſibi cavet, ſui fiducia corrumpit, cuncta deſpiciens, ſuperbiæ quoque malis infectus eſt, in jactationem proclivis. Arrogantia omnis à Deo tandem deprimitur,ejuſq́ue concitat iram præſumptio. Ejuſmodi deliri ſunt, in obvia ſe vitæ diſcrimina præcipitantes.

Medio tutiſſimus ibis.

Qui amat periculum, in illo peribit. Fortunæ nimiùm confiſi, pereunt tandem. Dionyſius junior Syracuſis (ubi tyrannidem exercuerat) pulſus, exulavit Corinthi, ibique Ludimagiſtrum egit,teſte Cic. Polycrates Samiorum tyrannus, poſt multos ridentis fortunæ Zephyros, ab Orcete, Cyri præfecto, ſuperatus, & ſuſpendio eſt affectus. Quos evehit fortuna dejicit:

- - - - - - - Vnde ſuperbus
Tarquinius regno pulſus fuit.

Marius,ſepties Conſul, qui de Jugurtha triumphârat, Cimbros & Theutones ſubegerat &c.

- - - - In cœno jacuit, cannaq́; paluſtri,
Pertulit & tanto multa pudenda viro.
Ovid. lib. 4. de Ponto.

XIII.

Et Terra, & Cœli, vel in his quæcunque peribunt,
Vox tua in æternum dia, Iehova, manet



Das Wort deß HErren ewig steht/
Ob Himmel und die Erd vergeht.

Ver-

XIII.

VErbum Domini manet in æternum, uti & Ecclesia ejus, ceu firma petra, æternùm durat:

Fluctuat: ast nunquam mergitur illa ratis.

Nec portæ inferi prævalebunt adversus eam; Innumeras quidem passa est persecutiones, non solùm hæreticorum plurimorum, qui eam conati sunt diversimodè destruere, sed maximè passa est tribulationes, & persecutiones à Tyrannis, Infidelibus, Regibus, & Imperatoribus, non uno solùm, vel duobus, sed plurimis, & per universum orbem, ut à Nerone, Domitiano, Traiano, Antonio, Severo, Galieno, Juliano, Decio, Valeriano, Diocletiano, Maximiano, Maxentio, & aliis multis, & tamen nunquam potuit prosterni, licet persecutiones non solùm habuerit in temporalibus, sed & in spiritualibus. In hanc, si salvus esse velis, tibi intrandum, & in eâ, usque ad vitæ finem, perseverandum.

XIV.

Qualis amor Christi in nos, te Gallina docebit,
Quæ generat pullos, educat atque docet.



Die Gluckhen / mit ihren Küchelein/
Christi Lieb gegen dir zeiget fein.

Gallina

X I V.

GAllina pullos ſuos nutrit, amat, foret, protegit. Ita Chriſtus Gallinæ ſe comparat; Quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum Gallina congregat pullos ſuos ſub alis. Diligis, Domine, ait Sapiens, Sap. XI. omnia, quæ ſunt, & nihil odiſti eorum, quæ feciſti; Omnis enim Artifex diligit opus ſuum, 9. Ethic. Amor verò Salvatoris cunctos mundi excedit amores:

I. Amorem naturalem, qui eſt inter patrem, matrem, & filium; nulla enim mater filium in tantùm dilexit, quantùm ipſe Dominus nos amavit. Et ideò inquit Eſaias c. 49 Nunquid oblivisci poteſt mater infantuli ſui, ut non miſereatur filio uteri ſui? & ſi illa oblita fuerit, ego non obliviſcar tui. Ecce, in manibus meis deſcripſi te: Illa autē ſcriptura non fuit facta calamo, aut atramento artificiali, nec in chartâ animalis mortui; ſed calami fuêre clavi, atramentum ſanguis ejus pretioſus, ſcriptores perfidi judæi ac milites, charta verò delicata ipſius caro in Cruce extenſa, literæ fuerunt cicatrices.

II. Amorem Matrimonialem; ſi enim uxor fornicatur à viro, repudiata ulterius, ut communiter, non recipitur: verùm ſi hominis anima Chriſtum ſponſum deſerit, ac diabolo adultero conſentit, eam tamen Chriſtus pænitentem recipit.

III. Amorem Socialem, qui eſt inter amicos; nullus enim homo pro inimico mori vellet: vix autem, qui pro amico bono: Hæc tamen perfecta eſt Charitas; nos autem non eramus juſti, ſed impii; Et tamen Chriſtus pro nobis mori voluit.

XV.

Cassus amor nihil est; quid enim sine fomite flamma?
Frustrà est, invitâ siquis amat Venere.



Lieb haben steht eim jeden frey/
Ob gleich kein Gniß und Gwin darbey.

Amor

X V.

AMor à naturâ homini eſt inſitus. Ad hunc affectum ſi inſtitutio recta acceſſerit, nihil in mortalibus magis eximium. Malè nihilominùs ſeveri homines amorem averſantur, eumque fœdâ & enervi imagine ſibi fingunt: quo nihil in humanis rebus ſinceriùs, modò in juſtis limitibus, & à virtute factis, ardens, non etiam ſuo incendio quæ vetantur corripiat. Neque in adoleſcentibus tantùm, aut maturæ ætatis hominibus blanda illa cupiditas concitatur; ſed & pueras in innoxiis ſollicitat annis, ut intelligas hunc ignem dignis pectoribus penè non tam accedere, quàm innaſci. Nec exiſtimes, in diſpari tantum ſexu hunc affectum convenire; Nam & Alcibiadem Socrates amavit, nec Lycurgus in turpem inſtituit diſciplinam, ne quis juvenum ſuo amatore vacaret. Hic amor quidam benevolentiæ nexus eſt, quem amicitiam appellaveris; itaque AMA.

Qui

XVI.

Qui veritatem prædicat,
Tandem misellus vapulat.



Wer will eim andern ſagen wahr/
Darüber geräth in Gefahr.

Obſe-

X V I.

OBsequium amicos, veritas odium parit. Animalia complura Leo suum in spelæum vocârat; appropérante Lupo, petiit Leo, quonam pacto sibi regia sua probaretur? nimium quantum fœtere, Lupus infit; hac veritate objectâ discerptus est Lupus miser: vulpes verò, cum se catharro laborare diceret, salva evasit; Sic etiamnum plures

Astutam servant sub pectore vulpem.

Et jam veritas exulat aulis: regnat palpatio. Audax ibi, qui loqui veritatem audet. Amos 7, c. Idololatriam Jeroboæ Regi exprobrans, à summo Pontifice ejicitur aulâ & regno. Ut Balthasaro Regi Babyloniorum veritas annunciaretur; non ausus est Deus ei virum mittere, sed manum hominis scribentis contrà candelabrum in superficie parietis aulæ regiæ. Dan. 5, 4. Nathan Propheta Davidi nunciasse veritatem jussus à Deo, ante altè petit exordium, quàm ad rem descendat: & parabolâ de ove pauperis cæsa à divite ob luxum convivij, eum circumvenit; Lataque ab Rege sententiâ, edixit demum: 2. Reg. 12. Tu es ille vir &c. Adeò plena est periculi functio aulicæ potentiæ veritatem insinuare; Quocircà benè Lucanus:

- - - - - - - *Exeat aulâ,*
Qui cupit esse pius; nam
- - - - - *Virtus, & summa potestas*
Non coëunt.

XVII.

**Hart als ein Stein ist/der nicht jung liebet in Ehren/
Frostiger als Eyß ist/ der keine Wärme fähet.**



**Wer nichts von Menschen Liebe weiß/
Ein Stein ist/oder kaltes Eyß.**

XVII.

DEI mandatum est, ut se proximumque diligamus. Amor duplex est : Amicitiæ, quo amamus alterum propter seipsum : Concupiscentiæ, quo amamus alium propter emolumentum ex ipso. Ille huic præstat: Utroque summè diligentus est Deus:

I. Concupiscipili; 1. Quia Proverb. 3. Omnia, quæ desiderantur, huic non valent comparari. 2. Hinc Moysi ait, Exod. 33. Ostendam tibi omne bonum. 3. Exclamat S. Anselmus : Cur ergò per multa vagaris, ô homuncio, quærens bona animæ & corporis. Ama unũ bonum, quod est omne bonum, & satis est.

II. Amore amicitiæ amandus Deus est, quia Deus est. 1. Ps. 68. Quid est mihi in Cælo, & à te quid volui super terram, Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum? 2. Non vult amore profano diligi Deus : sed amore, qui sit omnia super... 3. Hinc D. Thom. in Opusc. de Amore Dei, ait : Dei proprium est, ut sit centrum totius amoris; est enim summum bonum; cui proindè debetur omnis amor.

Amandus verò est proximus, propter Deum.

XVIII.

Post Venerem triste est animal, sed regula paucis
Stringitur exemplis, quod tibi schema refert.



Nach Lieb / kombt Leidt:
Trawren / nach Frewd.

XVIII.

MÆror amorem comitatur. Nimis, quàm certum; itaque cave sis omnes pudicitiæ hostes, præsertim temperandum oculis, ne in fæminas, potissimùm si comptulæ sint, curiosiùs defigantur; imò, ut etiam tui ipsius minùs decentem aspectum declines; Sic ægris noxios cibos, ne quidem videri sinimus, ne concupiscant. Libri quoque turpes abjiciendi. Sunt homines (propè canes dixerim) ut quas obscænitates ipsi admiserint, non pudeat, quasi fœdum vomitum projicere in miseras chartas, undè alii legendo resorbeant; perindè ac si forent parùm incœsti, nisi alios suis sordibus incestarent. Ita proponitur & propinatur tartareum fel sub melle, & in auro Babylonicæ meretricis, miscetur præsens venenum. O calamos Syrenes! ô Lenones libellos! Venio ad imagines fœdas, spectacula eò periculosiora, quò fixiùs diuturniusque spectari possunt. Hic est scopulus multorum fœdo naufragio infamis; nam didicére, quod spectârunt. Quas habes ejusmodi imagines, perde, ne te perdant. Tandem familiaritatem cum mulieribus fuge. Hîc sunt syrtes, hîc scillæ, hîc charybdis, hîc blanda exitia Syrenum, hîc quicquid uspiam est castis moribus formidandum.

XIX.

Quid rem scire juvat, nisi scis, quo tempore agenda
Prudenter, quo sit res quoque tuta loco?



Viel wissen / und nichts recht verrichtn/
Ist Nartenwerck / und unnůtz dichtn.

XIX.

QUi ſupra pueros ſapiunt, poſteà infrà decus virilis prudentiæ delirant. Equis certè, juvenciſque, in primorum annorum libertate incurioſos impetus effundere concedimus, ne tunc primùm robur enaſcens timeat ad vincula accedere. Adeò cæcæ mentes, quod in cæteris animantibus videmus, in noſtris pignoribus aut negligimus, aut neſcimus. Neque tamen in infinita libertate prima hæc ætas dimittenda eſt. Sit illis mediocris terror ſupplicii, ſumma parentum reverentia, & ſemper, quantùm ſibi liceat, ignorent; Nam ſi procax eſt alicujus pueritia, nimiaque ferocia exuberat, tunc faceſſant lenitatis iſta præcepta, tumorque, naturæ vitio enaſcens, quem ſæpè parentum lenitas ad ulceris maturitatem foret, adhuc crudus ac facilis exſecetur. Hoc modo lepida pueritia ſuæ & parentum voluptati relinquetur, &, poſtquam expleverit ſtultitiam innoxiarum cupiditatum, ipſa ætas paulatim ſtudia mutabit, radiceſque virtutum adoleſcent, quas ipſi jam non impetu, ſed judicio amabunt. Tunc afferent ad adoleſcentiam, & ad crepuſculum prudentiæ, mentem liberam placidamque, quæ ad illius lucis pulchritudinem vi ſuæ inſtitutionis obverſa ſit.

For-

XX.

Fortiter ut quid agas, nisi agas prudenter, idemque
Pondere in exitium præcipitatur onus.



Macht ohne Raht/
Zu trümmern gaht.

Cun-

XX.

CUnctis in rebus consilium, & ratio, & prudentia adhibenda sunt. Minùs præmeditatè nil agendum, nî pænitere mavis;

Quicquid agis, prudenter agas, & respice finem.

Serò sapiunt Phryges. Post factum pænitet actum. Seneca in Lib. de 4. virtutibus, ait: Tria sunt ad prudentiam pertinentia; præterita recogitare, præsentia ordinare, & futura prævidere; ideò de imprudentibus dicitur Deut. 32. Gens absque consilio est, & sine prudentia. Utinam saperent, scilicet præterita, & intelligerent, scilicet præsentia, & novissima providerent. Tempus præteritum recolendum, à Deo illud nobis fuisse concessum, ac propriè nostrum, certum & indultum; præsens autem ac futurum, est omnimodè incertum nobis; dubium, & in solius Dei potestate situm. Præsens quod attinet, cùm id adhuc divina bonitas nobis concesserit, pœnitentiæ ac emendationi vitæ, bonisque operibus tribuendum est. Futurum attendendum, per firmum in cæpto bono perseverandi propositum. Quid prodest Vineam magno labore phantasse, si antè vindemiam vites jam uvis refertas, excidas & evellas. Sic planè nihil proderit nobis, quamvis multa præclarissima præcedentibus temporibus operati fuerimus, si antè finem desistamus.

XXI.

Mirâ naturæ vice fœmina nasculus extat,
Et quæ sponsa fuit, jam tibi sponsus erit.



Offt die Natur was newes bringt /
So die Vernunfft unmöglich findt.

Omnium

XXI.

OMnium rerum ſunt vices. Inverſus eſt mundi ordo.
Eſſe equus optat bos piger, optat arare, caballus.
Virgo virum, vir fæminam agere pervellet. Et currus bovem trahere perſpicitur, Alter in alterius officium irrumpere, adeoque nemo ſuâ ſorte, contentus eſſe. Qui ſubeſt præeſſe vult, atque imperare; idque totum ex vana animi elatione provenit, quæ tamen dejicitur deprimiturque; etenim

Sæpiùs ventis agitatur ingens
Pinus, & celſa graviore caſu
Decidunt turres, feriuntq; ſummos
Fulmina montes.

Sed: *Beatus ille, qui procul negotiis,*
Paterna rura bobus exercet ſuis.

Humilitas exaltat. Quantùm origo fontium deprimitur, tantùm aſcendunt ipſi. Te jactas eum, qui non es; & ſuperbis. Ridetur meritò Epicurus, quod ſe ſapientem diceret, & hoc ipſo eſſet inſipiens. Humilitas beat. Quò eam amplectimur arctiùs, hoc plura in nos bona confert.

XXII.

Maturè ſapiens trutinat, citò perficit, at poſt
Actus, Concilium concipit inſipiens.



Ein Weiſſer zuvor als erwegt/
Ehe er das Werck mit ernſt anfeht.

XXII.

Suas quisque partes rectè, & ritè agere studeat.

REgum sapientissimus prævidens plerosq; mortalium, longa sibi inaniter in futurum sæcula polliceri, singulos hortatur à vanis hujusmodi conceptibus abstinere, nec solùm non in plura annorum lustra sed nec in crastinum diem durationē conjicere, inquiens Prov. 27. Ne glorieris in crastinum, ignorans, quid superventura pariat dies, q. d. Ne glorieris de futuris, dicendo: Cras genio indulgebo, deliciis me tradam, agros emam, plantabo vineam, de hoste meo me vindicabo, aut aliam vitæ rationem instituam; nescis enim an crastinâ die supervicturus sis. Verè Horatius:

Quis scit, an adjiciant hodiernæ crastina summæ
Tempora Dii superi?

Quàm multi illâ ipsâ horâ ac momento, quo vel maximè se vivere, ac deliciis vacare arbitrabantur, extincti sunt.

XXIII.

Multa negat Ratio: at vera Experientia monstrat;
Sæ hominem causæ, re sibi teste, latent.



Nos-

XXIII.

NOſcitur, non omnium rerum conſtare rationem, ſed experientiam; Undè enim provenit, quòd, cùm tria ſint lucidiſſima, Oleum, Argentum, & Ignis, ac nihil habeant in ſe nigredinis, dant tamen aliis, quæ non habent; nam Oleum lucidum nigras maculas infundit, Argentum candidum lineas nigras tingit; & Ignis fulgidus ligna ac paleas nigra facit? Quid eſt, quod paleæ tantæ ſint caliditatis, quod poma cruda maturant, & tantæ frigiditatis, quòd nives mediâ in æſtate conſervant, ne fluant; cùm tamen calidum & frigus ſint contraria, & duo contraria in eodem ſubjectô eſſe non poſſint? Calx, in quo ignis latet, & cùm naturaliter aqua ignem extinguat, oleumque ignem nutriat: tamen ſi quis aquam in calcem infundat, mox ignis latens urere incipit, & ſi oleum affundatur, mox ignem illum extinguit? Adamas ferro non frangitur, ac nullo conſumitur igne, & hircino tamen ſanguine molleſcit. Sapiens ait: Cunctæ res difficiles, non poteſt homo eas explicare ſermone. Quid, quòd fulmen aliquandò manum hominis ferit, & tamen chyrothecam, in quâ manus erat, non lædit? Argentum in marſupio liquefacit, & marſupium ipſum non urit? aliquandò vas percutit & confringit, & tamen vinum, quod naturæ liquidæ eſt, per tres dies, vaſe fracto, non fluit? Reddant rationem de his minimis, qui divina requirunt.

En

XXIV.

En vapor ignivomus rupes clam rumpit & arces,
Millia quas equitum vincere non poterant.



Ein Feind braucht Vortheil/oder Macht;
Drumb weißlich nimm dein Sach in acht.

Sapien-

XXIV.

SApientia dolusq; ac ſtratagemata Ducum ſæpiùs hoſtem, quàm armatorum impetus evertit; Ob hoc variæ illorum fuerunt quondam coronæ, Gemmatæ, Aureæ, Vallares, Murales, Roſtrales, Civicæ, Triumphales. *Summam* rerum præclarè geſtarum mercedem Romani exiſtimârunt, ſi ſuos Imperatores, Duces, Equites, Anteſignanos, cæteroſq; milites ſtrenuos, (pro ſuo quemque tamen merito, dignitate, gradu, commiſſaque provinciâ) certis coronis honeſtarent. Triumphalis, laureis ramis bacciſque circumtexta, invictis triumphatoribus offerebatur, Quibus, ut hoſtium victoribus & domitoribus, totâ Urbe Româ, magnificis curribus & rhedis circumvectis, triumphum agere, Senatus ipſius decreto fas erat. Prius tamen edocto ſenatu de quinquies mille hoſtibus uno prælio cæſis. Tribuno militum, Equitive, qui hoſtium obſidionem ſtrenuè ſuſtinuiſſent, ab iis, qui liberati ſervatique fuerant, dabatur Corona obſidialis, ſive graminea, omnium honoratiſſima, illuſtriſſimaque. Querceis alii foliis ac faſtigiis textâ coronâ donabantur. Muralis dabatur corona ex auro conflata illi; qui primus vi atque armis hoſtium mœnia tranſcendiſſet. Alii aliis decorabantur; nec inquirabatur, an virtute aut dolo evaſiſſent victores.

XXV.

Quos vis insanos domat haud privata parentum,
Hos labor emendat publicus atque fames.



Durch Hungerszwang und durch Arbeit
Zur Frömmigkeit komm böse Leuth.

In-

XXV.

INobedientium ac protervorum isthæc merces tribuitur. In has eos angustias nonnunquam Gula redigit, inobedientia, pravaq; societas otium, lusus vitiaq; complura. Quare ad rectam filiorum institutionem Parentes tenentur, & nemo ignorat, quanti ad Reip. salutem, si probè curetur, & ad ejusdem perniciem intersit, si negligatur. Quemadmodum Dei jussu liberi parentibus honorem, amorem, obsequium, atque obedientiam in omnibus, quæ rationi sunt consentanea, debent; ita & ejusdem summa voluntas est, ut parentes Liberis amorem præstent illos alant, bonisque moribus instituant. Ecclesiasticus ait c. 7. Filii tibi sunt erudi illos, & curva illos à pueritiâ illorum. Vides hîc quoties, & quam seriò Deus parentibus Liberorũ curam imperet? Sit ergò prima ea parentibus cura, liberis non aurũ, non peritura fortunæ bona cumulare, sed virtute & sapientiâ exornare. Liberos qui ditare, potiùs studet, quàm probos mores docere, similis est illi, qui neglecto pede calceos curat, ait Plutarchus de Liberorum educatione. Novellam & teneram adhuc arborem facilè est, aut curvam in altum surrigere, aut in quãcunque libet partem inflectere, cujus deinde annis roboratæ vitium mutare nemo potest.

XXVI.

Alata inventa est mola, corpore mobilis olim;
Corpore jam immota est, mobilis at capite.



Von Alters lang erfunden /
Sich endert zur Stunden.

Qui

XXVI.

Qui non assuescit virtuti, dum juvenescit,
—A vitiis nescit desistere, quando senescit.

ATramenti guttæ, quæ candidam vestem aliquam fœdant, si statim lavantur, facilè delentur: quod si eas senescere sinimus, vix tolli possunt. Plantæ, si in eo loco, in quo natæ sunt, relinquuntur, aut nullum, aut certè amarum afferunt fructum; & ideò transponi debent, & hoc maturè; quia si duriores fiunt, difficilè alibi radices agere poterunt, & si agant, tenuissimæ erunt, & exiguæ virtutis, ita ut possint à quocunque vento avelli; Ita etiam si puer in pravâ illâ inclinatione, in qua natus est, relinquatur, quos afferet fructus amari erunt; ideò antequam durior disciplinæ & institutioni fiat, transponi debet, ut optimas in virtute radices agat, neque facilè tentationum ventis possit avelli. Malorum filii malâ depravati disciplinâ, rebus omnibus inutiles sunt, præterquàm quod diabolo tradantur in escam, & sæpè permittit justo judicio Deus, ut, qui virtute non educati, cum jam grandiores sunt, parentibus parere recusent, neque canitiem eorum venerentur, quos neque Deum ipsum venerari docuére.

XXVII.

Nec rubor, aut pallor cohibet me dicere verum
Vel diviti, vel pauperi.



Ohn Ansehen der Person
Ich red / und niemand schon.

Cor-

XXVII.

Corruit Veritas in plateâ. Inundavit mendacium. Illa eſt exoſa Dynaſtis. O rem deplorandam! Potentes rerum adeò faſtidire verum. Verè Comicus: Obſequium amicos, Veritas odium parit. Unanimis eſt impiorum concordia ad pietatem & veritatem impugnandam. Omnia vitia contrà unam virtutem conſpirant, omnia falſam unam veritatem impugnant. Verùm Scriptura, Libri vera annunciant, nemini parcunt, revelant iram Dei de cœlo ſuper omnem malignitatem hominum. Nihil ad gratiam proferunt. Non externas hominum qualitates, divitias, potentiam, formam, nobilitatem, ſexum, atque id genus alia reſpiciunt, arguunt peccantes, Veritatem docent. Aliud nihil, quàm quod ſuggeſſit Veritas, Orbi detegunt.

Nec

XXVIII.

Nec quicquam invidies oberit, cui fata favendo
Prosunt: quod Dii dant, nemo vetare potest.



Was dir Gott gann/
Nimbt dir kein Mann.

In-

XXVIII.

Invidus alterius rebus marcescit opimis.

ANacharsis Philosophus causam plerique doloris hominum rogatus edicere, ait: Invidiâ est quâ plùs, de alterius prosperitate ac virtute plerique dolent, quàm de vitiis. Isid. Nulla est virtus, quæ non habeat contrarium invidiæ malum. Sicut eos, ait Stobæus, qui in Sole ambulant, umbra sequitur, ita incedentis per gloriã comes est invidia. Ideò Themistocles; Dux Athen., teste Plutarcho, juvenis dictitabat: Novi gesta mea necdum famam mereri; quod ea nondum invidia comitatur. Ut rectè quidam invidiam appellârit fortunatorum antagonistam. Similis draconi, Apocalyp. 12. qui caudâ suâ stellas trahebat; Ita virtutes in animâ rutilantes nititur obfuscare Invidia. O quot ista Mægera tragœdias civit! Angelos concivit ad rebellionem. Cain. Gen, 4. armat in fratrem. Fratres Gen. 37. in Josephum. Esau in Jacobum Gen. 25. Saulem in David, 2. Reg. 14. Deniq; Sapient. 2. Invidiâ diaboli mors intravit in orbem. O viperam genitricis ventrem disrumpens, ut vivere non incipiat, nisi per mortem parentis! O rubigo edax domicilii sui! O Arcana, vertis in venenum, quod attingis!

Tria sunt, quæ altissima quæque infestant:
Summa petit livor, perflant altissima venti;
Summa petunt dextræ fulmina missa Iovis:
— — Nec magnas patiens exurgere laudes
Invidia.

XXIX.

Non lambente boves linguâ, ſed calce reſiſtunt:
Fruſtrà etiam imbellis bella repellit homo.



Es iſt ſchwer widr Gwalt zu ſtreben/
Und ſich gegn groſſen Macht erhebn.

NE

XXIX.

NE Hercules quidem contrà duos. Sæpè quidem in varijs regionibus eversi sunt Reges; quibus expulsis, & per veræ libertatis imperitiem, devotis, successit aut cæcæ popularitatis imperium, aut permissa proceribus potentia, id est, multiplex, pro unico quod expulerant, regnum. Ac ut membra, quæ violentia de naturali sede dimovit, non nisi per violentiam in articulos suos redeunt, ita provinciæ quæ hoc modo ab optimo gubernationis genere diverterant, priùs errorē multis cladibus expiârunt, quàm antiquæ, & à se projectæ rectitudini redderentur. Subeundum itaq; subeundumve jugum est, si excuti nequit. Ferendum patienter. Sustine ac patere nè patiaris. Patientia colligit rosas. Excrementicia hirundinum fæce excæcatus Thobias, sinistrum illum casum tulit constantissimè. Quum Cambyses Rex Persarum, filium Praxaspis (à quo monitus fuerat vitandæ ebrietatis) sagittâ confodisset, pater dolorem suppressit, atq; etiam regem laudavit, ut sagittariæ artis peritum. Cato nullis unquam casibus est mutatus, nulli succubuit calamitati. Itaque magnanimus esto; Erit

Tandem Patientiæ victrix.

XXX.

Quid jactas vires animi? quid acumen adoras?
Nemo sibi satis est; Rex eget ipsus ope.



Ohn guten Rath nichts solst anfangen/
So du wilst Glück und Sieg erlangen.

XXXI.

Vtere consiliis; quia factum pœnitet actum.

NEmo ingenio suo fidat, aut industriæ. Propriis in causis Talpæ sumus: in alienis Argi. Dubiis in rebus Sapientum exquire consilium. Corona senum multa prudentia. At sincerum ii consilium dare debent. 1. Apocal. 1. Visus Princeps sedere in throno, & viginti quatuor seniores, albis, vestiti, circum; ita sunt candidi consultores; candor enim symbolum est puritatis. Sint quoque taciti; hinc prisci fanum Consilii habuêre subterraneum; quod celanda sint consilia: & in eo candidam aquilam cum crista gallinacea diversi colore; quòd quãvis pugnacissimis, Regibus consulere ad pacem debeant. Henr. Farn. l. 1. de sim. Reip. Lacones, nacti victoriam stratagemate, sine sanguine multo, bovem Marti: at multo cum sanguine partam, Gallinaceum offerebânt. Ergò Consiliarius imitetur Deum, dicatq; cum eo, Jerem. 29. Ego cogito cogitationes pacis, & non afflictionis. Ælianus prodit, Persis in more fuisse, ut consulere volentem Reip. sisterent in laminâ aureâ. Hanc ferebat præmium, si Reip. salutare ipsius concilium accidisset: Sin' infelix; virgis plateatim cædebatur. Consiliariorum ergò tarda & firma sint consilia. Valeat apud ipsos Delphicum istud: Festina lentè.

XXXI.

Quam fragile est fortuna bonum? sic molle repente
Frangitur ut vitrum! Prô mala fida Dea!



Ah! Glück und Glaß /
Wie bald bricht das?

For-

XXXII.

FOrtuna vitrea eſt; cùm ſplendet, frangitur. Permulti ex proſpera fortuna ad humilem miſeramq; redacti ſunt. Dionyſius junior Syracuſis (ubi tyrannidem exercuerat) pulſus, exulavit Corynthi, ibiq; Ludimagiſtrũ egit, teſte Cic. Polycrates Samiorum tyrannus, poſt multos ridentis fortunæ Zephyros, ab Orcete, Cyri Præfecto, ſuperatus, & ſuſpendio affectus eſt. Xerxes, qui Ægyptum ſubegerat, à Themiſtocle victus, ab Arthabano eſt interfectus. Mithridates rex Ponti, qui annos quinquaginta Romanos variis cladibus affecerat, Aſiam occupaverat, Quintum Oppium Proconſulem, & Aquileium Legatum in vinculi conjecerat, à Lucullo primùm, deindè à Pompejo ſuperatus, mortem ſibi intulis. Tarquinius Superbus regno pulſus eſt. Horat. lib. 1. Serm.

— — — — — Inde ſuperbus
Tarquinius regno pulſus fuit

Senior verò Marius, qui ſepties Conſul fuerat, de Jugurthe triumphârat, Cimbros & Theutones ſubegerat, Apulejũ & Glauciam ſeditioſos interemerat, victus à Sylla aliquãdiu delituit in Minturnenſium paludibus. Ovid. lib. 4. de Ponto:

Ille Iugurthino clarus Cimbroq; triumpho,
Quo victrix toties conſule Roma fuit;
In cæno Marius jacuit, cannaq; paluſtri,
Pertulit & tanto multa pudenda viro.

Heu!

XXXII.

Heu! quàm vanus amor? Cui nunquã videre tutum,
Fit citò cæcus amor, vanus abitque citò.



Lieb ist ein Liecht /
So bald verblicht.

XXXIII.

AMor eſt pulchritudinis deſiderium. Plotinus triplicem conſtituit pulchritudinem: quæ nihil aliud eſt, quam gratia ex plurium concinnitate coerta; atque ea vel eſt in animo, ex virtutibus parta; & venuſtas nominatur: vel in corpore ex lineis, & coloribus ſimul maximâ congruitate coaleſcentibus; & decus eſt: poſtremo ſonorum jucunditas pulchritudinem reddet vel maximam. Hæc pulchritudo tres habet ſenſus illi ſubſervientes, interiorem mentis oculum, corporis viſum, & aurem accommodam ſonis percipiendis, tactui verò nullus relinquitur locus; Valeant igitur libidinis incendia, fugetur procul intempeſtiva titillatio. Obſcænus namq; amor hominem in alium mutat; ac ſæpè exuit, & bruteſcat. Æſtus venereus Euphrati ſimilis eſt, rapidiſſimo & vorticoſo flumini. Nefas eſt. Ignis eſt. Tali abigne procul: Ex parva ſcintilla in magnum gliſcit incendium. Iſti ſunt pauci ex innumeris, Luxuriæ effectus. Momentaneum æternum.

XXXIII.

Judicio ingenioque valet rarò unus & idem;
Ingenio sua vis: Enthea judicio est.



Witz und Verstand
Selten verwand.

Duo

XXXIII.

PRæſtans eſt in gerenda Rep. prærogativa, poſſe magnis & virilibus ingeniis, quæ rei familiaris anguſtia aut aliæ difficultates premunt, propitiam manum dare, & veluti adeſſe Naturæ implorati. Quod ut illi facere eſt decorum, ita nec impunè poſſunt omittere, ſcilicet vel tacitâ indignatione bonorum caſtigari, vel aſſiduâ exprobrantis virtutis imagine apud ſe hanc culpam luentes; cùm enim hoc ipſo attolli meruerint, quod aut ſint, aut credantur, primæ illius & prudentis induſtriæ viri; quid morantur ſuam ſortem agnoſcere, & ingenij ſimilitudine junctos cognatâ charitate complecti? Nec ignorant, qui ii ſint, aut undè petendi. Benè conſultum generi humano, ſi tanta præſtantium animorum meſſis eſſet, ut, diſtributis inter illos rerumpubl. negotiis, ſupereſſent adhuc vacui aliquot ſuperfluo & inutili munere à Numine Orbi ponati. Multò parciùs cum felicitate hominum actum, rarumq; in omni ætate ac populo fuit altum ingenij acumen, purum, aptũque omni vitæ cuicumq; incubuerit, excultum diſciplinis, exertâ fortiq; verecundiâ natum omnia nec quid nimis audere. Illas mentes cùm Optimates vocant in publicæ felicitis partem, ſeipſos quidem primum, quaſi illius genij participes, commendant, tum Reip. nervos addunt, nunquam pulchriùs, quam à Sapientibus gubernatæ.

XXXIV.

Et justâ causâ, paribus quoq; cominus armis
Vim vi licet repellere.



Gewalt vertreiben mit Gewalt /
Im Rechten hat sein gewiß Gestalt.

Duel-

XXXV.

Vim vi repellere licet;

Duella verò perduellium deteſtabilia ſunt. Quid? Iſtane vera nobilitas repetere cum ſanguine vindictam? Hæc verò barbara eſt veritas. Si homicidia vel pariant, vel tueantur nobilitatem: jam quintum Decalogi præcipiet iniquitatem; quod prohibet duella & vindictam. O perverſum nefas! Vera nobilitas virtutum agnoſcit parentem, & colit: non impietatem. Ovidius in lib. de vetula canit:

Nobilitas hominis mentem frænare furentem,
Et: — — — — — — — *Virtute remotâ,*
Migrat in exilium nobilitatis honor.
Vindicta hæc, & victoria eſt, Iram viciſſe ſuam. Et
Fortior eſt, qui ſe, quàm qui fortiſſima vincit,
Mœnia.

Ambroſius, Chryſoſtomus, homil. de David: admirabiliorem ajunt fuiſſe Davidem ignoſcendo Sauli, quam vincendo Goliam; Quare, Magiſtratus, ferro in duellorum victores animadvertite: in victos & victores excommunicationis fulmina torquete Præſules: Paſtores cæſa cadavera cœmiteriis arcete. Jerem. 22. Sepeliantur ſepulturâ aſini putrefacti, & projecti extrà portas Jeruſalem: Nam Pſal. 138. Viri ſanguinum declinate à me.

XXXV.

**Kipper und Wucher sind fast gleich/
Ein jeder mit Betrug wird reich.**



Wer Roß vertauscht/ Und Wahr verkaufft/
Gut Geld begehrt/ Im gringen Wehrt/
Höher im Preiß/ Als er selbst weiß/
Ist das nicht Kippn/ Und gfährlich wippn/
So ist es doch gleich Wuchers Griffen.

Ava-

XXXV.

AVaritia est infelix malorum radix. Duæ res, quæ maximè impellunt ad maleficium; Luxuries, & Avaritia sunt, ait Cic. lib. 2. ad Heren. Val. Max. l. 3. Aritia neque habendo fruitur felix; & cupiditate habendi miserrima est. S. Chrysost. in Matth. Avaritia est insatiabilis ebrietas, injustitiæ fomes: Avarus communis omniũ hostis. Hier. Avaritia est bursa Principum, cellarium latronum, rixa parentum, sibilus hominum. 1. Tim. 8. Est radix malorum omnium. S. Basilius Hom. 17. in Ditescentes: Mare terminas habet: nox leges non transgreditur: solus avarus nullum circumscribit tempus, terminum nescit: sed ignem imitando, omnia comprehendit, ac depascitur. Mich. 6. Adhuc ignis in domo impij, thesauri iniquitatis; Quæ ista? Mensura minor; iræ plena. Claudianus ita de avaro canit:

Plenus sævitiæ, lucriq; cupidine fervens;
Non Tartessiacis illum satiaret arenis
Tempestas pretiosa Tagi, non stagna rubentis.
Aurea pactoli, totumq; exhauserit Hermum,
Ardebit mojore siti. ———————

Eabri-

XXXVI.

Fabricat ex uno fraudando stellio nummum,
Centena: heu tanti lucra nefanda mali!



Auß einem Thaler hundert macht/
Ist das nit List/ und Betrug verbracht?

Au-

XXXVII.

AUgustinus Epist.3. Avaritiã inferno comparat: Infernos enim quantos mortuos devorat, nunquam dicit: Satis est; sic, etsi omnes thesauri cõfluxerint in avarũ, nunquam satiabitur. Stroza pater avaritiæ notam cuidam imponit Scauro, ubi ait: Isai. 57. Cor impij quasi mare fervens, quod quiescere non potest. Inprimis Avari. Nam Chrysostom. hom. 36. in Matth. Ut sine fluctibus mare nunquam; Sic animi avarorum nunquam absq; turbatione. Et antiquam priora componant, alia invaserunt. Hugo de S. Vict. l. de claustro animæ. Superbia clausit diabolo cœlum. Gula Adæ paradisum. Avaritia diviti aperuit infernum. Secundùm istud 1. Tim. 6. Qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem, & in laqueum diaboli, & desideria multa, & inutilia, & nociva; quæ mergunt hominem in interitum, & perditionem.

Scaurus habet villas, urbana palatia, nummos,
Pinguiaque innumeris prædia bobus arat:
Huic tamen assiduè major succrescit habendi
Nunquam divitiis exatiata fames.

XXXVII.

Et canis & felis concordia rara: ſed ambo
Sæpè ſolent rixas diſſimulare ſuas.



Schimpff und Ernſt kombt offt zuſam̃n/
Biſtu klug laß dich nicht fangen.

Duo

XXXVIII.

DUo contraria ſe mutuo expellunt. Canis & Felis rarò concordes. Amicitia ficta ac ſimulata eſt, Fel ſub melle latet. Fide, ſed cui vide. Loquuntur pacem cum proximo: mala autem in cordibus eorum. Ejusmodi erat Judæ proditoris. Talis adhuc indies multorum eſt. Ptolemæus Judæus, Abobi filius, Socerum ſuum Simonem, Judæorum principem, convivio exceptum cum duobus filiis interfecit, regnandi cupiditate. Zopyrus Perſa benignè à Babyloniis exceptus, Urbem eorum Dario prodidit.

Proditor alterius, non tibi fidus erit.

Helena Deiphobum, Trojanum, cui poſt mortem Paridis nupſerat, dormientem Græcis prodidit, foribus ejus apertis, autor Virg. Appolonius Samios, quibus erat præfectus, Philippo dedit occidendos. Boleslaus tertius Rex Bohemorum Moſchonem Regem Poloniæ ſimulatione colloquii exoculavit. Grimoaldus Pipini Filius, Dagobertum, Sigisberti ſecundi filium, fidei ſuæ poſt mortem patris commiſſum, interfecit, ut Auſtraſiæ regnum, cui præerat pupillus, ſibi vendicaret: Non itaq; omne, quod ſplendet, eſt aurum, nec quod amicitiæ nomen habet, ſemper eſt amicitia.

XXXVIII.

Moris erat ſaltare ſolo : ſed videris ecce
Jam ſaltare ſalo, per glaciam Batavos.



Der Fürwitz hat viel Luſt erdacht/
Auch offt in Gfahr und Schaden bracht.

XXXIX.

MAgna mortalium audacia eſt ac temeritas. Poëtæ Phaëtonis arguunt temeritatem, quòd patris currum acceperit regendum, quum tamen non eſſet idoneus auriga. Ovid. lib. 1. Triſt.

Vitaret cælum Phaëton, ſi viveret, & quos
Optavit ſtultè, tangere nollet equos.

Gigantes auſi ſunt jovem armis laceſſere, & in eum ſcopulos jaculari, ut volunt Mythologorum fabulæ. Autor Æthnæ:

Tentavere (nefas) olim detrudere mundo
Sydera captiviq; Iovis transferre Gigantes
Imperium, & victo leges imponere mundo.

Icarus confictis à patre Dædalo pennis ſuprà modum intumeſcens, auſus eſt mediocrem parentis volatum deſerere, & in ſublime niti, donec liquefactis à Sole pennis, præceps deciderit in mare, Ovid. lib. 1. Triſt.

Dum petit infirmis nimium ſublimia pennis
Icarus, Icariis nomina fecit aquis.

XXXIX.

Vana est imaginatio,
Scopum Jehova dirigit.



Die Menschen ihn fürsetzen viel/
Dehn doch steckt Gott ein ander Ziel.

Homo

XXXX.

HOmo proponit, Deus diſponit. Reſiſtit Deus præfidentibus in robore, & per parvum quid. Nemroth robuſtus gigas, ut diluvium fortè aliud evitaret, turrim moliri cæpit vaſtiſſimam; at Deus obſtitit, quò minùs perficeret: Homo, quanta moliris ſubindè? Sed, quia non ex, vel cum Deo, ideò retardat ea Deus. De cujus vi Pſalm. 143. Tange montes, & fumigabunt. Sublime elude conatus, & in fumum abibunt. En Goliatham 1. Reg. 17. à vertice & calcem obarmatum, terroriq; cunctis; à lapide ſternitur non magno: à morbo gigas & Rex. In exercitu Antiochi, 2. Machab. 6. ingens erat Elephas: & is ab uno Eleazare ſuffoſſus corruit. Elephantinos viros caſus quàm levis perdit? Adamas fertur non niſi perægrè diffringi poſſe! aſt ut unum fragmen abſiliit, continuò in pulverem redigitur; Ita homo, etſi coloſſeus, & chalybeus; morbo tamen mortiq; cedit, inq; pulverem collabaſcit.

XXXIX.

De Fryhit beter iß / dann Gold /
Seg Voglicken / endfloch ind hold.



Wormit kanstu schätzen Freyheit?
Dann unerträglich Dienstbarkeit.

XLI.

Libertas pretiosior auro.

Alterius non sit, qui suus esse potest.

In cavea non canit Luscinia. Quomodo cantabimus canticum Domini in terra aliena? Super flumina Babylonis, illic sedimus, & flevimus, dum recordaremur tui, Sion. Intolerabilis est servitus misera. Onus est gravissimum. Onera verò vitæ sunt varia: De hoc Ecclesiast. 40. Occupatio magna creata est omnibus hominibus, & jugum grave super filios Adam, à die exitus deventre, usq; in diem sepulturæ. Oneris hujus pars est cerruptibilis humana. Prælatorum austeritas. Hominum malitia. Mundi vanitas. Ipsa hominis vita, quâ haud aliud onerosius. Onus quoq; conscientiæ est, nempè peccatum. Ab onere vitæ avocari tantò beneficium majus est, quanto eo gravior. Nec mirandum, inquit S. Hieron. Epist. ad amicũ ægrotum, tom. 9. quod sic mortalium vita populetur in mundo; in quo nemo nascitur ridens. Malorum primitias in primis lachrymis gustamus. Primam vocem, ait Salomon. Sap. 7. similem omnibus emisi plorans, & similis est exitus. O angustam & anxium tempus vitæ, ubi cum initio nominatur & finis! Itaq; hinc avocari gratia est. Sæculum, ait ibidem S. Hieron. pelago comparatur; in quo rara sunt prospera, solus exitus securitatis est portus.

XXXXI.

Somnia portendunt, & vana ſophiſmata multi,
Queîs mola rem populi promovet una magis.



Ein Handwerck frombt viel mehr der Statt/
Dann Sophiſtrey/ ſo kein Nutz hat.

XLI.

QUi Sophisticè loquitur, odibilis est, & in omni re defraudabitur, ajunt Philosophi. Ejusmodi extitêre complures, ac parum Reipub. adjumenti attulêre: Verum artificia, longo temporis decursu comprobata plùs incrementi atq; utilitatis intulerunt. Abietarii, sive fabri lignarii Acupictores, id est Phrygiones, qui aurum & colores vestibus intertexunt. Actuarij, sive ab Actis Notarij, qui veloci stylo acta actionesq; describunt. Acupedarij, optimi cursores. Alutarij, sutores coriarij. Amphorarij, pincernæ. Apiarij. Arcarij, arcarum fabri. Architecti. Arcularij, Aucupes. Aviarij. Aurifices. Aurigæ, curruum & vehiculorum ductores. Balneatores. Bractearij. Calceolarij. Calones, militum servi. Carnarij. Carnicoctores. Carpentarij. Caupones. Cællarij. Cæmentarij. Ceroplastæ. Chirurgi, medici vulnerarij. Fænisecæ. Fullones. Furnarij. Hamiotæ. Helciarij. Herbarij. Institores. Lactarij. Lanarij. Laniones. Lecticarij. Librarij Lintearij. Lixæ. Medicamentarij. Molendinarij. Myropolæ. Navitæ. Odorarij. Oeconomi. Oenopolitæ. Piscarij, alijq; diversarum artium cultores, usibus humanis apprimè necessarij. Apage Sophista.

XLII.

Ut moriar, vivo, moriorq;, ut postmodò vivam;
Nam cinere exusto mox ridivivus ero.



Daß ich sterb / leb ich /
Daß ich leb / sterb ich.

Mors

XLIII.

MOrs ſequitur vitam indubitata. Omnes morimur, & quaſi aquæ dilabimur in terram, quæ non revertuntur. Ut ſidera in Oriente orta, poſt mille curſus ac recurſus, demũ in Occidente occidunt omnia; ita uno progreſſi ortu, occũbimus pari occaſu, Sed non eventu pari. Simonides Philoſopus, Plut. teſte in Conſolat. ad Apollon. poſcenti ab ſe Pauſania, Rege Lacedæmoniorum, ſibi è Philoſophia mnimoſynon promeret, è quo melior evadere poſſet: ajebat: Hominem te, & mortalem memineris. Noverat is Regis faſtum, atq; animos: & huc nullum efficacius illo antidotum. Solon Athen., ad elatos Græcorum ſpiritus retundendos, templi Delphici valvis inſcripſit: Noſce te ipſum, quis, undè, quò tendas; Nam vivendo morieris; moriendoq; vives; Credimus namq;, quod ſicut Iſraëlitæ ſimul & Pharaonitæ, Exod. 14. ſunt Ægypto egreſſi: verùm ad mare cùm ventum, hi ſubmerſi; illi egreſſi ſunt in terram ſanctam, ſine vel morbo, vel veſtium attritione; ita corpora ex terrâ egreſſa, judicij Divini mare tranſire habent; in quo peccatores peribunt, juſti pertranſibunt ad gloriam. Quales duo cum Joſeph capti, Gen. 40. ambo è carcere ſunt educti, ſed hîc in malam crucem, ille ad priſtinam dignitatem. Et verò potens eſt Deus nos reſuſcitare; Nam, qui ex nihilo creavit omnia, faciliùs poteſt idem mortuos ad vitam revocare.

XLIII.

In cassum irritas, catulo latrante, Leonem;
Facto opus est, quoties nil ubi verba valent.



Viel Worte nichts thun zu der Sachen;
Die That die muß das Werck verschaffn.

Multa

XLIII.

MUlta verba, opera pauca. B. Jacobus cap. 1. admonens homines, ut ex divino verbo fructum perciperent, & secundùm illud operarentur, admirabili quadam similitudine explicuit, quod ex eo, quia illud audientes non servarent, proveniebat, quod illud opere non exequerentur, dicens: Estote factores verbi, & non auditores tantùm, fallentes vosmetipsos; quia si quis auditor est verbi & non factor, hic comparabitur viro consideranti vultū nativitatis suæ in speculo; cōsideravit enim se, & abiit, & statim oblitus est, qualis fuerit. Posuit similitudinem viri; quia qui sunt viri, & non fœmineis moribus assuefacti, si faciem in speculo aspiciant, est tam celeriter, & (ut ajunt per transennam,) ut statim obliviscātur imaginis suæ illic perspectæ: non ita mulier, sed prolixæ se contemplatur, ac faciem secundùm speculum exornat. Siquidem ergò hîc S. Apostolus comparat verbum Dei speculo, advertite in eo maculas defectusq; vestros, eosque corrigite, ac valdè prolixè in illo vos aspicite, ac secundùm illud animas vestras componite, ut fructum bonaq; opera proferatis.

Munia

XLIV.

Munia ſic quisquis peragat ſibi credita vitæ,
Mors donec ſolvat feſſa laboris onus.



Ein jeder bleib in ſeim Beruff /
So wird er ſterben mit Behuff.

XLIV.

UNiverſalis rerum omnium Dominus, qui nos vocat ad obſerventiam ſuæ S. Legis, eſt Dominus tantæ nobilitatis, ut de eo dicat David. Pſ. 85. Quoniam tu, Domine, ſuavis & mitis; & multæ miſericordiæ omnibus invocantibus te. Tanta eſt ejus ſuavitas, ut ad ſe nominandum, non dicatur Dominus familias, quod eſt nomen Majeſtatis, ſed Paterfamilias, ut nos confortet, ut libentiſſimè ad ejus ſervitium accedamus. Ut primum rationis uſus illuceſcit, jam Deus eſt tecum, ne ad ſathanam diſcedas. Sunt homines tam ducibiles ad proficiſcendum in vineam ſathanæ, ut quamvis non vocentur, nec conducantur, aut aliquid præmij illis promittatur, omnes illuc pergant. O animæ Chriſtianæ, quare non erubeſçitis, cùm tot vocationibus non reſpondeatis. Perſeverandum eſt autem in Dei ſervitio uſque ad finem; Vita enim æterna non niſi perſeverantibus dabitur, Matth. 24. Qui perſeveraverit uſque in finem, hic ſalvus erit. Hanc conditionem ſæpè repetit Scripturâ, ut eam tantò profundius animis noſtris imprimat. Corona non datur inchoantibus certamen, aut curſum, ſed currentibus uſque ad metam. Stabilis mane in bono propoſito, atq; in gratiæ ſtatu firmus. Non aliud vult Scriptura ſacra, dum monet, ne ſimus claudicantes, ne ſimus ut ſidera errantia, ne ut Luna mutabiles.

XLV.

Principium trium est, quo cuncta creata ligantur;
Si dubitas faciunt hæc resoluta fidem.



Daß alles Ding besteht vff drey/
Das Putterfaß dir zeigt hierbey.

Multa

XLV.

Multa in triplici numero sunt disposita.

SIc in Angelis tres sunt Hierarchiæ, in unaquaq; tres Ordines, in unoquoque Angelo tria distincta: Essentia, Virtus & Operatio.

Item Deus triplicem ordinem creaturarum instituti: Spirituales, corporales, & partim spirituales & corporales.

Hic numerus trinus frequens est, & mysticus in S. Scripiurâ.

Tres sunt filij Noë, ex quib⁹ omnis natio derivatur, Gē. 6. 10.
Triū Deus specialiter dicitur, Abrhæ, Isac & Jacob. Exo. 3. 6
Trium dierū viā ambulant exeuntes Ægypto. Exod. 8. 27.
Tres in montē ascendunt: Moyses, Aaron & Hur. Ex. 17. 10.
Tria erant in arca; Virga Moysis, Tabulæ Legis, & Manna. Hebr. 9. 4.
Tres erant Urbes refugij ultrà citraq;. Deut. 4 41. N. 35. 6.
Ter in año Templū invisebātJudæi. Exod. 23. 17. & c. 34. 24.
Ter se Elizæus mensurat cum puero. 3. Reg. 17. 21.
Ter Daniel orat, ac ter genua in die flectit. Dan. 6. v. 10.
Tribus diebus Jonas est in ventro Ceti. Jonæ 2. 1.
Tribus diebus & tribus noctibus jejunat Esther. Esth. 4. 16.

In novo Testamento.

Tres Reges tria dona ferunt. Matth. 2.
Ter eundem sermonem orat Christus. Matth. 26 44.
Tribus diebus in morte Christus. Mar 8. 31.
Tribus diebus non manducans, nec bibens Paulus. Act. 9. 9.
Tres linguas sanctificat Christus, sub quibus omnes aliæ. Jo. 19. 10.
Tres Apostoli in Transfiguratione. Luc. 9. 28.
Tres status & Imperia Christi: Cœlestium, Terrestrium & Infernorum. Phil. 2. 10.
Tres ab omni parte portæ in Civitate Dei. Apoc. 21. 13.

XLVI.

Nocte dieque ſerit lites Plutonia Conjunx,
Anne verò hæc purgans ſcæva ſit ignis anus?



Das mag auch wol ſein ein Fegfewr;
Ein alt Weib keiſſend / ohne Stewr.

Non.

XLVI.

NOn est animal virulentius muliere malâ; Hinc Ecclesiast. 29. Brevis omnis malitia super malitiam mulieris; Undè significaturus Deus, nolle se ultra misereri Israëlis, Oseæ mandat, ut ducat uxorem, filiamq; primogenitam nominet Absq; misericordia; quia non addam ultrà misereri domui Israël. S. Joannes Apoc. 9. scribit se admiranda vidisse: Locustas similes equis paratis in prælium, habentes caudas similes Scorpionum, dentes Leonum, capillos mulierum, & potestas earum nocere hominibus. Obstupescendum profectò, Spiritum Sanctum, ad declarandam locustarum harum malitiam, cuncta adeò horrenda apponat, equorum sævitiam ad prælia paratorum, Scorpionum virus, dentes Leonum, ac suprà caput earum capillos mulierum ut malâ muliere nihil esse pejus denotaret. Sapiens ac breve dictum est: Brevis omnis malitia super malitiam mulieris, Eccl. 25. Benè Comicus.

Feris omnibus agrestior mala mulier.
Par est leænæ & mulieris crudelitas.

Euripides in Phænis:

Mulier efferacissimum malum est:
Vbi mulieres; ibi omnia mala sunt.

Chrys. Quid Leone sævius? Quid serpentibus aut draconibus atrocius: Sed hæc animalia in malo, mulieri inferiora sunt.

Menander: *Mare ignis, mulier tria mala.*

XLVII.

Ætas quæq; vices habet, & sua temperat acta,
Præferat inventis ut meliora bonis.



Wer etwas bessers heut erfind /
Billich das Lob und Vorthel gwint.

Huma-

XLVII.

HUmani generis, ſicuti cæterorum omnium, præcipua in cunabulis cuſtodia eſt. In arboribus ramiˈnaſcentes obſequuntur Agricolæ: cujus ductu vel in altum enituntur, vel ad terram proni deflectunt; Ita puerorum animi, parentum velut obſtetricum manibus fingi poſſunt. certâ & in ſequuturam ætatem menſurâ imagine.

In adoleſcentiam deinde productos, primamq; juventutem, ipſe impetus ſanguinis, vireſq; jam ſe nimis cognoſcentes, prorſus immutant, & animum abripiunt per inconſultæ fiduciæ ac ſecuritatis æſtus. Tunc primùm idonea deliciis ætas eſt, nec plus de voluptatum ſenſu gaudet, quã quod illas audeat impunè experiri. In poſterum conſulere ideò neſciunt, quia adhuc crudæ vires non reputant ſe obnexias eſſe fortunæ: & præterea lætarum rerum ſpecies tunc animos ita implent, ut ſeveriori prudentiæ, quæ primo aſpectu moleſta eſt. in iis nihil vacet.

Excipit juventutem ſtata ætas ac virilis, media inter adoleſcentiæ præcipitia, ponduſq; ſenectutis. In hac adeò cum animo corpus viget, ut tunc demùm verè hominem eſſe credideris.

Sed hanc denique pulcherrimam vitæ partem ſenectus, velut aliquo æſtu, ſenſim inundans, ſanguini primùm, & mox ingenio, ſuum frigus inſinuat. Omnia ſolent anxiâ nimis cogitatione verſare, tam quæ ipſi effugêre, quàm quæ alios perdiderunt. Sic rerum vertitur ordo.

Moris

XLVIII.

Sæpè parit petulans languorem lingua: quid ergò
Lingua doles, quum tu causa doloris eris?



Ein böse Zunge viel böses stifft /
Doch mit jhr Gifft / sich selbst vergifft.

Peri-

XLVIII.

PEriculoſum lingua membrum eſt; Ut veriſſimum ſit Jac. 3. Qui non offendit verbo, hic perfectus eſt vir. Quo perfectior Job: quem etſi omnibus membris percuſſerit ſathan; non tamen in lingua. Fortè ut hanc ad peccandum relinqueret potentem; Undè Job 19. Adhæſit os meum carni meæ, & derelicta ſunt tantummodo labia circa dentes meos. q. d. omnia afflicta ſunt in me, ſola lingua ſuperat intacta. Fortè, quia tam eſt periculoſa, duplici eam Deus ſepto munivit. Plinius ait, duas in eâ venas eſſe! una ad cerebrum, aduſq; cor altera pertinens; id diſcamus tum moderatu eſſe ſolicitam ac difficilem: tum orationis cum ratione & corde eſſe conſenſum oportere. Quare Eccl. 28. Verbis tuis facis ſtateram, & frenos ori tuo rectos: & attende ne fortè labaris in lingua, & cadas in conſpectu inimicorum: dæmonum. Freni ſunt Dei amor, timor; pudor tui & hominum; ſilentium, ſecretũ, detractionis odium.

O ſcintilla! quantos ſæpè das ignes?

Eccleſ. 22. metuebat Sapiens: Quis dabit ori meo cuſtodiam; & ſuper labia ſignaculum certum; ut non cadam in ipſis, & lingua mea perdat me? Plùs diffidebat linguæ, quàm fidaret ſuæ Sapientiæ. Ac tantò ſapiebat diviniùs.

XLIX.

Cernis in exemplis Hecubam, quam duxit Adonis;
Si placidè & benè vis nubere, nube pari.



Deins gleichen nimm dir zu der Ehe/
Sonst haben wirst Unruh und Wehe.

XLIX.

Si qua voles aptè nubere, nube pari.

VErè bonum eſt homini mulierem non tangere. 1. Cor. 7. Quia uxorem accipere, eſt libertatem vendere. Socrates percunctanti, Quid ſit uxorem ducere? ait: Quod naſsâ concludi; ut enim nantes circum naſſam piſciculi vellent intus eſſe; ſed foris, qui ſunt intus; ita uxorati ac liberi. Quæ his roſæ videntur, ac mella; iſtis ſunt ſpinæ, ſunt ac fellea. Nemo novit, ubi me calceus premat: ego ſentio: dicebat Æmilius Paulus, cognatis diſuadentibus, ne uxori puloellæ, prænobili, daret repudium. Plutar. in Æmil. Paul. 4. Cicero repudiatâ Terentiâ, roganti Hircio ſuam duceret ſororem, actis gratiis, negat amori & Philoſophiæ convenire, nec eâdem ſede morari poſſe. Hier. l. 1. contrà Jovinianum. Quare, ut Philemon Comicus ajebat, Hominem in vita ſemel conſcendere mare, mirandum eſt; at expertum repetere, hoc mirum. Mare malorum mulier.

L.

Sæpè etiam eſt fatuus, vel ſimplex puſio vates:
Abdita cùm Fatum vera aperire volet.



Narren / und Kinder ſagen wahr /
Was finſter iſt / wird durch ſie klar.

Tan-

L.

TAndem Veritas in lucem prodit, atque omnibus conspiciendam se præbet. Ex ore parvulorum, quin & stultorum veritas manifestatur; Et veritas tandem omnibus prævalet. Jucunda est illa Historia, quæ tertio Esdræ libro ad longum describitur, quod sc. tres Regis Darij Ephebi, quam ipso Rege, ejusq; Consiliariis, ac totius regni Viris Doctissimis, disputârint, quidnam in toto universo fortissimum existeret; Vinum primus, alter Regem, tertius mulieres, præ omnibus autem veritatem eminere, asseruit; Veritas enim manet, & invalescit in æternum; nec enim apud eam est accipere Personas, neq; differentias, sed quæ justa sunt, facit omnibus. Benedictus Deus Veritatis. Et desiit loquendo. Et omnes populi clamaverunt: Magna est Veritas, & prævalet.

FINIS SYLLOGE II.



